

B. I. 1106





Carmeli gandensis
A.o 1731

[illegible]
[illegible]
Elia
M pro[illegible]
het [illegible]

GVILIELMI ESTII
S. TH. DOCT. ET PROF. PRIMARII, NECNON CANCELLARII DVACENSIS
ORATIONES THEOLOGICÆ.



DVACI,
Typis Viduæ LAVRENTII KELLAMI,
ſub ſigno Agni Paſchalis. 1614.

Summa Priuilegij.

ALBERTI ET ISABELLÆ Archiducum, Principum Belgij, priuilegio prohibetur nequis intra duodecim annos ORATIONES THEOLOGICAS D. GVILIELMI ESTII in Belgio imprimat absque voluntate Viduæ & hæredum LAVRENTII KELLAM, vel alibi impressas diuendat: sub pœnis eodem priuilegio expressis; dato Bruxellæ die 16. Maij, 1614. & signato,

Le Comte.

ADMODVM
REVERENDO IN CHRISTO
PATRI, AC D. DOMINO
PHILIPPO DE CAVEREL,
CELEBERRIMI MONASTERII
S. VEDASTI ATREBAT.
PRÆLATO MERITISSIMO
ET VIGILANTISSIMO.



VILIELMVM ESTIVM, admodum reuerende Antistes, superioribus mensibus apud nos defunctum, S. Th. Professorem primarium, Vniuersitatis Cancellarium, Regij Seminarij Præsidem, quanti facere soleat tua non solum charitas, sed & prudentia; illa vna res satis arguit, quòd multos per annos, quos religiosorum tibi subditorum, ad tempus Duacum concedere sacrorum studiorum gratia permittebas, in huius viri conuictum ac disciplinam dare consueuisti: vsque dum (præter alias alibi ædificatas

religiosas domos, egregio sane exemplo, quod ecclesiasticæ personæ opibus abundantes, meritò imitentur) ipse in hac Duacensi ciuitate tuis religiosis ad studia dimissis aut posthac dimittendis, proprium collegium ac monasterium prouidentissimè exstruxisti; iis addito ex familia vestra Atrebatensi peculiari præside, qui inspiciat, dirigat, gubernet, omninóque curet & prouehat studia ac mores filiorum tuorum. Vice autem versa, quanta obseruantia idem D. Estius coleret R. P. V. ob ea potissimum diuinæ gratiæ dona, quibus ipsam cumulatissimè ornatam videmus & gaudemus; sæpe variis modis variisque occasionibus fecit testatum. Eæ res effecerunt, vt nos, quibus ille suarum scriptorum quæ vtiliter edenda viderentur, curam imposuit, Orationum panegyricarum quas in scholis Theologicis Duaci, diuersis temporibus, diuersis argumentis habuit, editionem meditantes; illas ipsas tanti viri erga tantum præsulem obseruantiæ monumentum publicum esse cuperemus. Tametsi & aliæ causæ nos facile impellebant vt huius Duacensis Academiæ, ac insuper Seminarii in ea regii, itemque regii Collegii benefactori primario, gratitudinem quoquo modo demonstrandi opportunitatem, omnes & singuli, si quam possemus nancisci, auidè arriperemus.

Accipe

Accipe igitur, Religiosissime Antistes, amici tui religiosissimi & doctrina præclari, Theologicas in consessibus publicis habitas Orationes, quæcunque in supellectile defuncti repertæ fuerunt: ac eo vultu suscipe quo soles authorem ipsum. De earum præstantia quid ego quicquam hoc loco? Iudex erit, cui eas dedicamus, doctrina & pietate (Deo gratia) præstans; qui quanta sit in iis pietas, quantum eluceat scientiæ, quantus ex iis promicet zelus animas Christo lucrifaciendi, facile est perspecturus. Quod restat, Deum precamur, vt R. P. tuam in tanta negotiorum mole & varietate, non tuorum tantummodo causa, sed etiam Reip. ipsiusque adeo Ecclesiæ, versantem, Sancti Spiritus lumine ac robore semper irradiet & confirmet. Duaco, 23. Iul. 1614.

Admodum R. P. ac D. V.

officiosiss. add.

BARTHOLOMÆVS PETRVS
S. Theol. Doct. & Prof.

INDEX ORATIONVM.

FINIS.

APPROBATIO.

HAS orationes Theologicas nouendecim, in scholis Duaci diuersis temporibus à laudatiss. mem. M. N. GVILIELMO ESTIO, Vniu. Duacensis Cancellario habitas, Infra scriptus summa attentione omnes perlegi; atque à viro doctissimo, prudentissimo & modestissimo ita conscriptas deprœhendi, vt nihil in ijs sit quod quenquam, etsi à catholica religione fortassis alienum, queat offendere : quin contrà potius, multorum, non solum catholicorum, sed errantium quoque aut miserè seductorum saluti, per Dei gratiam, vtilissimæ sint futurę. Quod testor & censeo hac 4. die Aprilis, 1614.

BARTHOLOMÆVS PETRVS
S. Theolog. Doct. & in Vniu. Duac. Prof.

ÆTA. SVÆ. 65.
A°. 1608.



ESTIVS in viuis sic ora verenda ferebat:
Scripta quis ingenio fuerit, perlecta loquentur.

Obijt 1613. 20. Sept.

Mart. bas. f.

Quis ille? Marcus eloquens? Vates Maro?
Nonnsue Aquinas Doctor? Est omnes simul.
Proferre verbo si voles: Dic, ESTIVS.

ORATIO PRIMA.

Unde contemptus ordinis Ecclesiastici?



ON temerè est, ornatissimi viri, quod apostolus Paulus Titum & Timotheum charissimos discipulos atque in Christo filios suos, tam seriò tamque grauiter admonet; alterum cum ait, *Nemo te contemnat*; alterum verò cum ait; *Nemo adolescentiam tuam contemnat*. quod profectò non præciperet sapientissimus magister Paulus, imo in Paulo Spiritus Sanctus, si non aliquo modo in ipsorum, quibus hoc præcipit, situm esset potestate vt ne ab alijs contemnantur, & ita situm, vt ipsi de suo contemptu culpabi-

Tit. 2.
1. Tim. 4.

pabiles existant. Sed hoc rursum si perpetuum esset, vt nemo nisi sua culpa contemneretur; non legeremus eundem apostolum apud Corinthios gloriantem in infirmitatibus, & contumelijs suis; nec legeremus in libro Actorum, apostolos alios cum gaudio digressos à conspectu concilij, quòd digni habiti essent pro nomine IESV contumeliam pati; memores nimirum verbi Domini sui, quo dixerat: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Non denique legeremus ipsum apostolorum Dominum, regem gloriæ; spretum & contemptum vsque ad ignominiosissimam mortem, mortem crucis. Cum igitur partim in nobis situm sit, ne contemnamur, partim in alijs; breuiter dicere constitui, de contemptu sacerdotum Dei, atque omnino totius ordinis ecclesiastici, primùm explicaturus, quæ causæ sint, quare, quos vt Dei ministros, pro officij sui dignitate singulariter honorari oportuit, hodie tantoperè contemni videamus; deinde monstraturus quibus modis tantum malum vnusquisque ministrorum Dei, aliquò vsque à se auertere, & apostolico præcepto, quo dictum est, *Nemo te contemnat*, satisfacere possit.

Act. 5.

Matth. 5.

Igitur, vt quod primum est, primo loco prosequar,

ſequar, facile ex orationis noſtræ exordio intelligere licet, duas potiſſimum cauſas eſſe, quibus contingit eos vulgò contemptos haberi, qui dignitate officij ac miniſterij ſui, Deo ſunt coniunctiores: & vna quidem cauſa externa eſt, altera interna; illa aliena, hæc domeſtica, non ita tamen diuulſæ ab inuicem, quin ſæpè coniunctæ reperiantur. Eſt autem prior illa atque externa non alia quàm cæcitas, malitia, ſuperbia cõtemnentium. Facti ſumus, inquit Pſalmiſta, opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Et quæ obſecro, alia cauſa fuit, vt iam olim homines ſancti, & iuſti, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, alijque ſerui Dei, deſpicabiles habiti fuerint hominibus huius ſeculi; niſi quia hi carnales, illi ſpirituales; hi de mundo, illi non erant de mundo? *Si de mundo fuiſſetis*, inquit Dominus ad diſcipulos ſuos, *mundus quod ſuum erat diligeret; quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Quæ cauſa vt ipſe filius Dei, ſpecioſus forma præ filijs hominum, ille ſanctus ſanctorum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi, cuius natura bonitas, cuius opus miſericordia, in propria veniens, agnitus & receptus non fuerit; inſuper probris & contumelijs affectus, ac demum morte mulctatus, atque ab ingratis agricolis extra vineam proiectus; de

Ioa. 15.

quo dixerat pater eius, vineæ Dominus; *forsitan reuerebuntur filium meum?* Causam scriptura nobis reddit, cæcitatem, malitiam, odium luminis, amorem tenebrarum: *Excæcatum est cor populi huius*, inquit propheta: Et in Euan-
Ioa. 3. gelio Dominus, *Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*. Nonne apud Sapientem hæc legitur vox persequentium Dominum; *Cir-*
Sap. 2. *cumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis; & contrarius est operibus nostris; & improperat nobis peccata legis*. Et rursum; *Grauis est nobis etiam ad videndum; quoniam dissimilis est alijs vita illius*.
Act. 13 Hos nimirum apostolus contemptores appellauit in Actis, de quibus & Euangelista te-
Lucæ 7. statur: quod spreuerint consilium Dei in semetipsis. Nec alia causa fuit cur apostolus Paulus apud quosdam Corinthios reprobus, vt ipse loquitur, id est, abiectus & vilis habitus fuerit, & sermo eius contemptibilis; quàm superbia sensus humani, contemnentis altitudinem consilij Dei, qui stulta, infirma, & contemptibilia huius mundi elegerat, vt fides nostra non esset in sapientia hominum sed in virtute Dei. Sed nunc alteram causam videamus.
Cap. 3. Legimus in 2. libro Machabæorum in hunc modum. *Cum sancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat vt & ipsi reges & principes, locum summo ho-*

mo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent, ita vt Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus, ad ministerium sacrificiorũ pertinentes. Credo hoc propterea pluribus verbis commemoraſſe ſcripturam, vt ſignificaret quantum momenti adferat ad honorem & venerationem ordinis ſacri, vita integra atque inculpata eorum qui in ordine illo verſantur. Si ergo integritas vitę, grauitas morum, præſtantia doctrinæ, ſeueritas diſciplinæ, legum & canonum obſeruantia, honorabiles facit miniſtros Dei; certè cõſequens eſt vt horum contraria, improbitas vitæ, morum leuitas, ſcientiæ defectus, legum & diſciplinæ neglectus, eoſdem in contemptũ adducat; non apud vulgus tantum, ſed etiam apud principes & reges terræ. Quid enim iuſtius quàm vt honorentur ab hominibus, qui debitum exhibent honorem Deo, & contrà, apud homines contempti ac viles habeantur qui praua ſua inter homines conuerſatione polluunt nomen ſanctum Dei? *Quicunque glorificauerit me,* inquit Dominus, *glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1 Reg. 2. Qua ſententia percuſſa poſteritas Heli ſacerdotis, propter flagitia filiorum eius Ophni & Phinees, ad ignobilem vitæ conditionem, inter æquales ſacerdotes condemnata eſt. Audiamus quæſo contra tales altaris miniſtros increpationem

tionem Domini per Ezechielem Prophetam;
Ca. 22. *Sacerdotes* (inquit) *contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea; & inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam; & inter pollutum & mundum non intellexerunt, & à sabbathis meis auerterũt oculos suos: & coinquinabar in medio eorum.* Audiamus & Malachiam non minus acriter in eos inuehentem;
Cap. 1. *Ad vos, ait Dominus exercituum, ò sacerdotes, qui despicitis nomen meum; & dixistis, In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum, panem pollutum,* & quæ sequuntur. & capite proximo, *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia angelus Domini exercituum est: Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. propter quod, & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas.* Vtinam, Auditores, istæ propheticæ increpationes non etiam nostra tempora designarent, & nostra peccata flagellarent! Sed verè cum poëta dicere possumus; Ah, nimis in nostros vox cadit illa dies. vt non tam sui seculi mores notasse sacerdotum, quàm statum ecclesiæ huius temporis depinxisse prophetæ isti videri possint. Etenim si vnquam aliàs post Christum natum; nunc vel maximè, compluribus locis, in clero disciplina languet, probitas exulat, scientia contemnitur, charitas friget,

get; canones dormiunt. Meritò igitur iuxta propheticam comminationem, secutus est in tam multis orbis Christiani partibus, tantus, quantum videmus & experimur, contemptus ordinis ecclesiastici. Neque enim supra plebem honorandus putatur, quem non supra plebem extollit virtus eminentior, pietas maior, doctrina sublimior. Imo quantum supra cæteros extollit sacerdotem sanctitas vitæ; tantum deprimit eum infra alios abiecta & statu suo indigna conuersatio; vt iam non sit sicut populus, sic sacerdos, vt est apud prophetam; sed longè sit infra populum sacerdos. Iam verò cuius vita despicitur; quid restat nisi vt prædicatio contemnatur? sicut à Gregorio grauissimè scriptum est.

Rectissimè igitur admonet charissimos suos Titum & Timotheum & in his vnumquemque ecclesiæ ministrum, apostolus; dicens; *Nemo te contemnat.* Cui præcepto qua ratione satisfacere oporteat, iam satis, vt arbitror, præcedens oratio nostra declarauit. si enim contemptibilem facit Dei sacerdotem vita improba, contemptum hunc ab eo auertet vita sancta & inculpata, vt dicere possit cum Psalmista ad Dominum; *Aufer à me opprobrium & contemptum; quia testimonia tua exquisiui.* Quid igitur est; *Nemo te contemnat*? nisi, quemadmodum Hieronymus interpretatur; Nolo te ta- Ps. 118.

lem exhibeas vt possis ab aliquo meritò contemni. Vbi & post pauca subijcit hanc dignam memoriâ sententiam; Vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse quàm clericos. Certè ipse apostolus ad Timotheum scribens satis ostendit qua ratione minister Dei efficere possit & debeat ne contemnatur. Cum enim dixisset, *Nemo adolescentiam tuam contemnat*; continuò adiecit, *Sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Præstabunt ergo quod Apostolus præcipit, ministri Dei, si omni virtutum genere exornati, bonæ famæ odorem longè latèque de se spargant atque diffundant; si lux eorum sic luceat coram hominibus, vt videant opera eorum bona & glorificent patrem cælestem. Finem dicendi faciam, si verbum vnum adiecero, maiores nostros huius apostolici præcepti consideratione, prudentissimè iam olim instituisse, vt qui ad culmen aliquod eruditionis studio & labore pertigissent, non sine publico testimonio, quem gradum studiorum appellamus, ad præfecturam populi Dei dimitterentur. Hac enim via efficere se existimabant, vt qui alioqui hoc præsidio destituti, facilè à suis contemni potuissent, tanquam vulgaris duntaxat scientiæ homines; cum digna existimatione susciperentur: & necessariam authoritatem consequerentur, si venirent huiusmodi testimonio subnixi atque communiti.

Anno 1583. die 8. Nouembris.

ORATIO SECVNDA.

De fugienda lectione librorum hæreticorum.



PRVDENTER admodum decretum esse à reuerendissimis sacri Tridentini concilij Patribus, vt eorum librorum qui vel hæreticam vel suspectam in fide doctrinam continent, index siue catalogus contexeretur, quo sic eos, velut censoriâ virga notatos, cõstaret, vulgo legi non licere: nemo qui rectè & catholicè sapit, dubitat. Nam & ante hæc tempora ab ijs quorum erat regere ecclesiam Dei, similis cura in hoc negotio adhibita fuit: & si antehac factum id non fuisset, certè

lem exhibeas vt possis ab aliquo meritò contemni. Vbi & post pauca subijcit hanc dignam memoriâ sententiam; Vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse quàm clericos. Certè ipse apostolus ad Timotheum scribens satis ostendit qua ratione minister Dei efficere possit & debeat ne contemnatur. Cum enim dixisset, *Nemo adolescentiam tuam contemnat*; continuò adiecit, *Sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Præstabunt ergo quod Apostolus præcipit, ministri Dei, si omni virtutum genere exornati, bonæ famæ odorem longè lateque de se spargant atque diffundant; si lux eorum sic luceat coram hominibus, vt videant opera eorum bona & glorificent patrem cælestem. Finem dicendi faciam, si verbum vnum adiecero, maiores nostros huius apostolici præcepti consideratione, prudentissimè iam olim instituisse, vt qui ad culmen aliquod eruditionis studio & labore pertigissent, non sine publico testimonio, quem gradum studiorum appellamus, ad præfecturam populi Dei dimitterentur. Hac enim via efficere se existimabant, vt qui alioqui hoc præsidio destituti, facilè à suis contemni potuissent, tanquam vulgaris duntaxat scientiæ homines; cum digna existimatione susciperentur: & necessariam authoritatem consequerentur, si venirent huiusmodi testimonio subnixi atque communiti.

Anno 1583. die 8. Nouembris.

ORATIO SECVNDA.

De fugienda lectione librorum hæreticorum.



PRVDENTER admodum decretum esse à reuerendissimis sacri Tridentini concilij Patribus, vt eorum librorum qui vel hæreticam vel suspectam in fide doctrinam continent, index siue catalogus contexeretur, quo sic eos, velut censoriâ virga notatos, cõstaret, vulgo legi non licere: nemo qui rectè & catholicè sapit, dubitat. Nam & ante hæc tempora ab ijs quorum erat regere ecclesiam Dei, similis cura in hoc negotio adhibita fuit: & si antehac factum id non fuisset,

certe tot malorum experientiâ, quæ ex iſtiuſmodi librorum familiari lectione naſcuntur, tandem ita faciendum eſſe moneret. Cogunt enim vt corporum, ita animarum medicos, ad noua ſubinde quærenda remedia, nouorum
Ca. 25. experimenta morborum. Grauiter dictum eſt ab Auguſtino, de vera religione diſputante, ante omnia conſiderare nos debere, quibus vel hominibus, vel libris credendum ſit ad colendum rectè deum, quæ vna ſalus eſt. Cum enim duo ſint modi ac veluti viæ quibus à docente doctrina tranſeat in animum diſcentis, ſermo videlicet & ſcriptura; maxima profectò danda eſt opera, vt vtrâque viâ id ſolum transfundatur, quod ſanum, integrum, verum & omni ex parte incorruptum eſt: ne ſi vitioſum aliquid tranſmiſſum fuerit, mox ipſum vas cui infuderis, id eſt, animus diſcentis vitium inde capiat, ac labem contrahat. Quod ſi in omni diſciplina obſeruandum eſt; multo maximè & peculiari quodam iure ſuo ſolicitudinem hanc poſtulat ea ſcientia, quæ de religione eſt; in qua, quantum promouet veritas ad ſalutem, tantum impellit error ad perniciem: ſalutem autem dico & perniciem, non corporis ſed animi, imo verò totius hominis; Eamque non temporariam, ſed æternam atque immutabilem. Et quidem de ſermonibus hæreticorum fugiendis, etſi exhortatione interdum ſit opus

prop-

propter eos qui pericula sua, vel non vident, vel non considerant; doctrina tamen non admodum opus est. Quotus enim est quisque qui ignoret præcepta apostolica? *Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* 1. Cor. 15.
Item, *Profana & vaniloquia deuita; multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* & alibi, *Qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*, id est, simplicium & imprudentium hominũ. quos proinde admonet, dicens; *Rogo vos fratres vt obseruetis eos; & declinate ab illis.* quis porro nescit illud Ioannis apostoli; *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert: nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue; communicat operibus eius malignis.* Hæc cum sint fidelium cordibus impressa, vt obliterari non facilè possint: nescio an quisquam vel hæreticus, doceat non esse fugienda hæreticorum & omnino improborum colloquia. vna hac re à nobis dissident, quod illi se hæreticos dici non patiantur, eius nominis contumeliam in Catholicos retorquere conantes. Quicunque tamen illi sint quibus hoc nomen iure debeatur, vitandum esse eorum congressum & colloquium, non dubitant; qua in re planè nobiscum sentiunt. Quid ergo? dicet aliquis, An non de scriptis hæreticorũ idem est iudicium, quod de sermonibus? idem prorsus; si rectam

2. Tim. 2.

Rom. 16.

Epist. 2.

ratio-

rationem consulamus, si ius diuinum atque humanum, si denique experientiam ipsam. Estque hoc omnium Catholicorum consentiens & commune iudicium; est & eorum ferè omnium qui sectas fouent. Quo magis admiror vnum quendam ex eorum numero, à cæteris voluisse dissentire; qui cum editionem Alcorani, libri omnium Christianorum confessione impijssimi, adornaret; eam vt toti orbi commendatam, plausibilemque redderet, præfatione muniuit, quam inscripsit Apologiam pro editione Alcorani. In qua facti sui defensione, studio causæ, is vir eò vsque progreditur, vt etiam hæreticorum libros publicandos putet, propter magnam quæ ex ijs capi posset, vtilitatem, si, vt ait, cum iudicio legantur. Id autem passim omnibus permitti vult; & ad eam rem tum ex patribus tum ex Concilijs exempla & argumenta aliquot colligit. Sed quia obstare sibi videt constitutiones imperiales antiquissimas, quæ leguntur apud Iustinianum, quarum vna est Theodosij & Valentiniani Imperatorum, qua Nestorij hæresiarchæ scripta damnantur ac legi prohibentur; non veretur ille hanc legem (quasi hæc sola sit) vt inanem ac temerè latam perstringere, eique pondus & authoritatem suam detrahere. Cum enim nonnullos authores, pro sua, vt ei visum est, causa, testes produxisset; ita subiunxit:

Pro-

Proinde authoritas doctissimorum ac sanctissimorum Patrũ, de quibus antea memini, iure pręponderat legi Theodosij iunioris & Valentiniani, quæ prohibet Nestorij libros quem synodus Ephesina damnauit, scriptos habere vel legere, aut describere; iubetque diligenti studio perquiri, & publicè comburi. Præsertim si quis inspiciat mores principum magnorum, qui plerumque de literis & doctrinis iudicare non possunt, vel per imperitiam vel per occupationes bellicas: & permittunt eam administrationem sæpè hominibus, neque pijs, neque doctis, neque prudentibus. Audistis arrogantem hæretici hominis censuram in legem duorum Christianorum, & catholicorum principum; imò, si bene aduertimus, in totum corpus legum ciuilium. Quis enim non videat, quacunque lege prolata, similiter responderi posse, vt iste respondet, nempe, magnos principes de rebus iudicare non posse, vel per imperitiam, vel per occupationes bellicas; & eius rei administrationem sæpe permittere hominibus, neque pijs, neque doctis, neque prudentibus? Quod elusionis genus si semel nobis indulserimus: videtis quò res progressura sit; semel conciderit prorsus omnis illa legum veneranda maiestas atque authoritas. Possemus huic homini opponere illud apostoli; *Si iudicas legem, non es factor legis sed iudex.* Possemus Iac. 4

mus contemnere stolidum & arrogans iudicium; & quidem potiori iure quàm ille legem antiquam, probatam, in iura relatam duorum orthodoxorum principum sibi contemnendam duxit. Verùm quia ab eo nonnulla ex Patribus & Concilijs, aduocantur testimonia, quibus suam confirmet sententiam; admixtis etiam ratiunculis aliquot, videlicet ne sine ratione tam stultè insanire videatur: operæ pretium me facturum existimaui, si iusta oratione pro veritate causam dicam, ostendamque quantopere fugienda, imo detestanda sit hæreticorum librorum lectio omnibus ijs qui veram Catholicam religionem sincerè atque ex animo colunt, suæque saluti seriò consultum cupiunt. Qua in re hunc sequemur ordinem, vt primò monstremus, quid super hac re iam olim canonibus legibusque decretum, & quid vsu sit obseruatum hactenus; deinde doceamus quod factum est, iure atque ratione factum esse, nec omnino aliter fieri debuisse; postremò expendamus vtrum & hoc nostro seculo eandem legum canonumque seueritatem expediat retineri. Responsionem verò ad ea quibus aduersarius suam sententiam tueri conatur; quoniam & pauca sunt & friuola, in aliud opportunum tempus reijciemus.

Vt igitur ad id quod primo loco agendum est, veniamus; mirari satis non possum Bibli-

andri

andri (hoc enim illi defensori cognomen est) imperitiam dicam, an improbitatem, qui ex tanto veterum constitutionum numero, vnam tantummodo legem elegerit, quam sibi obijceret, obiectamque eo quo dictum est modo refelleret. Aut enim plura non vidit; & imperitiam suam prodidit: aut cognita dissimulauit; & improbum se ostendit. Ad quæ recensenda priusquam veniam, vnum scripturæ locum præmittere volo, cuius meminisse noluit Bibliander quod nimirum intelligeret eum causę suæ vehementer esse contrarium. Paulo apostolo Ephesi morante, vt est in Actis Apostolorum, *multi ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus.* Cap. 19. Verba illa etsi legem non contineant, sed tantum quid factum sit ostendant; exemplum tamen proponunt omnibus seculis imitandũ. Quare enim combusserunt libros curiosarum artium magistros? ne quis letiferæ corruptionis, quæ ab illis procedebat, particeps fieret, vt annotat græcus scholiastes. Oecumenius. Quantum verò studium fuerit primis illis ac nouellis Christianis perdendi libros noxios; sequentia verba declarant: *Et computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinque millium.* Quam summam, iuxta monetam nostri temporis æstimatam, putat Budeus esse decem millium coronatorum. Diceret Iscariotes aliquis,

quis, Vt quid perditio tanta? poterant enim codices illi venundari, & precium dari pauperibus; Sed prudentia Christiana satius esse duxit, libros & precium perdere, quàm cum certo animarum periculo de alendis pauperibus proditoris consilio auscultare. Factum hoc præclarum imitatus est Cyprianus, ex mago martyr Christi. Eum enim mox vt fidei lumen aspexisset, libros magicos publicè incendisse, author est Gregorius Nazianzenus. Imitati sunt & Augustini tempore fideles. Tractans enim doctor ille verba Christi apud Ioannem, *Nondum venit hora mea*, sic suos alloquitur; Si hoc secundum mathematicos dixit dominus; sacrilegium fecimus incendendo codices eorum: si autem rectè fecimus, sicut apostolorum temporibus factum est; non secundum eos dixit dominus, *Nondum venit hora mea*. Et quid multa? Imitatur hoc exemplum tota ecclesia, vsque in hodiernum diem, dum & legibus latis, de libris noxijs quid faciendum sit præcipit per vtramque potestatem, ecclesiasticam dico & ciuilem; & leges ipsas facti executione commendat, vsuque confirmat. Ad hoc igitur probandum, quia id dissimulat aduersarius, nunc accedamus.

Oratione in Cyp. & Lira in moral. Act. 19.

Scriptores ecclesiasticæ historiæ Socrates, Sozomenus, Theodoritus, & post eos Nicephorus commemorantes ea quæ in magno

illo

illo Niceno concilio contra Arium congregato, acta sunt, abunde nobis testatum reliquerunt, quid illius concilij Patres, quid magnus Constantinus, cuius auspicijs concilium illud cogebatur, de libris hæreticorum iudicauerint. Hunc enim primum habuit ecclesia imperatorem palam Christianum, vt ne antiquiorem quis à nobis requirat. Narrat Socrates libro primo suæ historiæ, Constantinum statim post absolutam synodum misisse epistolam ad ecclesias de rebus in synodo gestis; in qua hæc verba leguntur: Quemadmodum Porphyrius capitalis pietatis hostis, qui nefarios libros contra religionem Christianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit, & eiusmodi quidem, vt apud posteriora sæcula non ipse solùm maximis probris vexatus fuerit, & turpissima infamiæ labe aspersus, verùm etiam impia eius scripta deleta penitus & extincta: sic iam visum est Arium & eius sectatores Porphyrianos nuncupare, vt quorum secuti sint mores eorum quoque nomen habeant. Quin etiam si quod opus ab Ario conscriptum reperiatur; illud cremandum esse, vt non modò execrabilis eius doctrina funditus tollatur, sed etiam nullum monumentum relinquatur eiusdem, ad posteritatem. Illud etiam mandamus vt si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, & non statim in Cap. 6.

medium adductum igne combusserit: morte mulctetur, nam mox vt comprehensus fuerit, plectatur capite. Huc vsque verba Constantini, talia profecto, quæ prorsus obmutescere cogant Bibliandrum. Eadem apud Nicephorum inuenies libro octauo: Indicat autem Constantinus etiam Porphyrij libros contra religionem Christianam editos, iam antè à se publico edicto aboleri iussos.

Cap. 25.

Porro legis huius Constantinianæ quam ex Socrate recitauimus, meminit etiam Sozomenus libro primo, his verbis. At verò imperator non solum Arium mulctauit exilio, verum etiam episcopis omnibus & populis edictum misit scriptum, vt tum illum tum opinionis eius fautores impiorum numero ducerent, & si quis liber reperiretur ab illis scriptus, in ignem conijcerent: quo neque ipsius, neque opinionis cuius author fuerat, ullum exstaret monumentum. quod si quis aliquem librum eius occultare deprehenderetur, ac non ilico in publicum productum incenderet; vt capitis mulctaretur supplicio. Hæc ille de Constantino & quidem post synodum.

Capite 20. & Nicephorus libro 8. cap. 18.

Sed in ipsa illa synodo quid à patribus Imperatore præsente, actum sit, videamus. Theodoritus narrat libro 1 fidei formulam ab Arianis compositã, & sacrosenatui oblatam,

Cap. 7.

omni-

omnibus impietatem eius detestantibus, ilico iussu synodi, discerptam fuisse. Sed & sanctum Eustathium Antiochenum citat similia commemorantem de literis Eusebij Nicomediensis, Possinij Ariani, exhibitis in concilio, & confestim in omnium conspectu laceratis. Quid verò de libris editis? De ijs scribit Sozomenus libro primo, in hunc modum; Quin etiam & verba, quibus eius, (Arij videlicet) explicabatur opinio, & librum quem de eadem ediderat inscripseratque Thaliam, Synodus legi vetuit. Addit Nicephorus libro octauo synodum pręterea mandasse si quod aliud eius aut sectatorum eius inueniretur scriptum, vt id igni traderetur. Videtis quam optimè cum sententia sacræ synodi, lex imperatoris congruat? Possemus hîc in medium proferre verba eiusdem synodi, ex epistola eius, scripta ad ecclesiam Alexandrinam, quæ est apud Socratem libro primo, in qua negat se pati posse vt vel ad aures suas perueniant Arij dogmata plena blasphemiæ. Itemque verba sanctissimi Alexandri Patriarchæ Alexandrini (qui primus Arium damnauit) ex epistola eius ante Nicenam synodum, scripta, ad ecclesiam Constantinopolitanam, quibus eam admonet vt Arij & sectatorum eius neque scripta audire sustineant: sed in breui oratione vitanda est

C. 20.

Cap. 18.

Cap. 6.

Theo. lib. 1. cap. 4. & Nicephorus lib. 8. ca. 7.

prolixitas. Vnum addam de Constantino, ne quis suspicetur contra solos Arianorum libros, quos vehementer oderat, eum leges dictasse. De eo refert Eusebius Cæsariensis libro 3 vitę eius, quod publico edicto, cuius exemplum apud eundem legitur, omnes hæretico quocunque tandem nomine censerentur, pœnis aliquot propositis reducere conatus sit ad gremium ecclesiæ Catholicæ: inter quas vna erat, libros eorum perscrutandos esse; ne omnino qui tales libros haberent & legerent latere possent; sed vt manifestò deprehensi, resipiscerent & ad ecclesiam redirent. Supponebat igitur lex illa, hæreticorũ libros apud solos hæreticos inueniri. Poterant hæc quæ diximus sufficere ad decretum synodi Tridentinæ tuendum, & leges Catholicorum principum nostri temporis, de fugienda lectione damnatorum dogmatum: quandoquidem & illa, Nicenam synodum, cuius sacratissima est apud omnes authoritas, facti sui ducem & magistram habet; & isti Constantini religiosissimi, prudentissimique principis exemplo facilè se defendere possunt. Sed ne singularia putentur hæc facta, velut à zelo quodam insolenti atque immoderato profecta, ideoque nec imitanda: Deo iuuante ostendere conabor, ab eo tempore & deinceps ad hanc vsque nostram ætatem, nec præsules ecclesię à vestigijs synodi

Capite vltimo, & duobus præcedentibus.

Nicenæ deflexisse, nec principes seculi, Catholicos dumtaxat, ab indole magni illius Constãtini degenerasse. Theodosius senior quemadmodum videre est apud Sozomenum libro 7, libellos eorum qui consubstantialitatis fidem oppugnabant, sibi oblatos atque acceptos, vt profanos disrupit; ac deinde lege lata sanxit, vt sectarijs neque conuentus agere, neque fidei suę doctrinam profiteri liceret. Huius filio Arcadio regnante, opera Eutropij eius præpositi, scripta Eunomij omnia, quòd eius hæresis per id tempus plurimum vigeret, publicè cremata sunt, & cadauer eius sepulchro extractum, & publica ignominia affectum est. Author Nicephorus libro 13. Eodem tempore vir doctissimus & sanctissimus præsul Epiphanius, episcopis in Cypro congregatis Origenis librorum lectionem edicto inhibuit: Alijs quoque episcopis non sibi subiectis idem suadere conatus; quibusdam morem gerentibus, alijs recusantibus, non ob id quòd non putarent fugiendam esse librorum suspecti dogmatis lectionem, sed quia de Origenis dogmatum damnatione nondum inter episcopos conuenerat. Putat quidem Nicephorus, Socratem & Sozomenum authores secutus, hæc ab Epiphanio facta tantùm vt Theophilo Alexandrino obsequeretur: sed fallitur. Quàm enim ex animo quamque recto ac proprio iudicio

Ca. 12. & Soc. lib 6. ca 10.

Cap. 1.

Nicephor. li. 13. c. 12. Soc. li. 6. c. 6. & Sozo. li. 8. ca. 14.

dicio ita censuerit Epiphanius, manifestum est ex opere eius Panario de hæresibus; in quo prolixè, nec minus eruditè, contra Origenis disputat errores. Vixit eodem fere tempore Augustinus, qui quid de mathematicorum, id est, genethliacorum libris facere sit solitus, suprà ostendimus. Quid autem de his quæ contra religionem scriberentur facere soleant eius familiares & subditi, intelligi potest ex epistola apud eum 43. quæ est Maximi cuiusdam hominis ethnici, qua ille deorum cultum contra Christianam religionem defendés, tandem post multa sic ait: Post hæc non dubito, vir eximie, qui à meâ sectâ deuiasti, hanc epistolam aliquorum furto detractam, flammis vel quolibet pacto perituram. Nempe hoc Christianorum studium erat, pium sane & laudabile, omnia quæ religioni & pietati quoquo modo aduersabantur, disperdere & abolere penitus, ne vel auditu vel lectione percepta noxam parerent incautis. Sed ad principum leges redeo.

Theodosius iunior, Arcadij filius, & in imperio successor, scripta Nestorij hæresiarchæ & Theodoreti Cyrensis qui tum de Nestoriana hæresi suspectus erat, legi vetuit. Postea verò vnà cum Valentiniano eam legem sanxit, quæ est in codice, libro 1, titulo de hæreticis & Manichæis; in qua sunt hæc verba. Nec verò im-

Lege 6.

pios

pios libros nefandi & sacrilegi Nestorij aduersus venerabilem orthodoxorum sectam, decretaque sanctissimi cætus antistitum Ephesi habiti scriptos, habere, aut legere aut describere quisquam audeat: quos diligenti studio requiri ac publicè comburi decernimus. Pœnam adijciunt bonorum publicationem: meminerunt & legis Constantini, qua Arianos, ob similitudinem impietatis, Porphyrianos dici voluit; eius nimirum legis, cuius verba superius ex Socrate historico recitauimus. Hęc porro lex illa est, quam Boucmannus, qui se Bibliandrum Græco nomine vocauit, velut imperitè, imprudenter, inconsideratè, & perfunctoriè latam sugillare non veretur. At certè oportebat illum censorem & de altera lege, quæ est eodem titulo, numero octaua, si tamen eam vidit, suam censurã & iudicium in medium adferre. Lata est enim ab eodem Valentiniano, & Theodosij successore Marciano, post celebratam synodũ OEcumenicam Chalcedonensem; sicut prior illa post Ephesinam; & pœnam apposuit etiam grauiorem. Sic autem habet; Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonensem synodum, liceat aliquid vel dictare vel scribere, vel edere atque emittere, aut aliorum dictã vel scripta super eadem re proferre. nemo huiusmodi habere libros, & sacrilega scriptorum audeat monumenta ser-

uare. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi: perpetua deportatione damnentur. Et paulo pòst; Omnes verò huiuscemodi chartæ ac libri, qui funestum, Eutychetis scilicet & Apollinaris, complexi fuerint dogma, incendio concrementur, vt facinorosæ peruersitatis vestigia flammis combusta, depereant. Hę sunt duę trium orthodoxorum principum leges, de perdendis hęreticorum libris, pro ecclesia Catholica latę, & à Iustiniano probatæ atque in codicem iuris relatæ; de quarum authoritate, dignitate, vtilitate, nemo doctus, nemo Catholicus dubitauit; imo fortasse nec de numero sectariorum quisquam dubitasset, nisi Bibliander hic nobis prodijsset, qui altera dissimulata, propter nomen Marciani, vt opinor, cuius pietas & prudentia scriptorum monumentis admodum est celebrata, alteri dentem infigeret dum eius authoribus lenitatis imprudentiæque notam inurit, im-
Ex. 22. memor præcepti diuini: *Dijs non detrahes & principi populi tui non maledices.* Et eius quod à
Eccl. 8. Sapiente dictum est: *Non iudices contra iudicem, quoniam secundum quod iustum est, iudicat.* Sed ad rem propositam redeamus. Præerat rebus ecclesiæ per id tempus Leo primus cognomento magnus, cuius studio & authoritate coacta fuerat synodus Chalcedonensis; adeoque verisimile est eius hortatu, vt alia quędam.
ita

ita & istud de libris hæreticorum abolendis, à dictis imperatoribus pro ecclesia sancitum fuisse. Exstant enim huius Pontificis complures epistolæ ad Theodosium, ad Marcianum, ad Leonem imperatorem eius nominis primum, ad Pulcheriã Augustam prudentissimam sanctamque mulierem, de rebus ecclesiæ Catholicæ componendis, deque extirpandis hæresibus. Quid autem idem hic laudatissimus Pontifex etiam per se decreuerit feceritque videamus. Grassabantur eius tempore, præter prædictas, duæ pestilentissimæ hæreses Manichæorum & Priscillianistarum. contra Manichæorum pestem disserit multis sermonibus; Priscilliani dogmata sigillatim recenset, ac refellit epistola 93, in qua de libris, talium dogmatum seminarijs, quos illi hæretici speciosis ornabant titulis, communi hæreticorum more, (sic enim & hodierni faciunt) tandem ita concludit: *Curandum ergo est, & sacerdotali diligentia maximè prouidendum, vt falsati codices, & a sincera veritate discordes in nullo vsu lectionis habeantur. Apocrypha autem scripturæ quæ sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ sed etiam penitus auferendæ sunt. Quamuis enim sint in illis quædam quæ videantur speciem habere pietatis; nunquam tamen vacuæ sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur vt mirabilium* Cap. 15.

narra-

narratione seductos, laqueis cuiuscunque erroris inuoluant. Vnde si quis episcoporum vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti; hæreticum se nouerit iudicandum; quoniam qui alium ab errore non reuocat, seipsũ errare demonstrat. Hactenus Leo, subijciens paulo pòst, neminem inter Catholicos cẽseri qui scriptis vtitur ab ecclesia Catholica damnatis. Quã censurã Leonis de libris Priscillianistarũ conciliũ Bracarense primũ, annis pene 200 posterius, canone 17 secutũ est, anathema dicens taliũ librorum lectoribus. Libros verò Manichęorũ eiusdem pontificis iussu cõbustos publicè fuisse anno 446, author est in chronicis suis ęqualis & familiaris eius Prosper Aquitanicus. Nec multo pòst idem factum est à Gelasio pontifice, Hic enim Manichæos, libris eorum combustis, Româ expulit. Quem secutus Symmachus vno tantùm intermedio, rursum inuentos in vrbe Manichæos in exilium egit, & codices eorum cremauit. Huic quoque proximus Hormisdas Manichęos, palam combustis eorum libris oppressit, atque ita tandem nefaria secta apud Romanos exstincta est. Et quia in mentionẽ Gelasij pontificis incidimus: sciendum est hunc primum, scripto publico, libros Catholicos & orthodoxos ab hęreticis, apocryphis, & suspectæ
doctrinę

doctrinæ ſcriptis, ſecreuiſſe; & illos quidem toti eccleſię legendos propoſuiſſe, hos autem catholicis vitandos, & ab omni Romana eccleſia eliminandos, cenſuiſſe. Hoc eius decretum extat apud Gratianum diſtinctione 15 ca. Sancta Romana eccleſia. Ab hoc igitur pontifice, qui vtriuſque ordinis libros tanta diligentia collegit, quanta in illo decreto apparet; originem ſuam accepiſſe videtur Indicis librorum vetitorum conficiendi ratio, & vſus, quem in hodiernum vſque diem ſeruat eccleſia; res ſanè vtiliſſima ac plane neceſſaria ſemper viſa, ad continendum intra limites puræ ac ſynceræ religionis gregem Chriſti. Sub ea tempora, Romani imperij principatum tenuit Iuſtinus ſenior Iuſtiniani auunculus, & proximus anteceſſor, & orthodoxæ fidei ſtrenuus defenſor; in cuius laudibus memoratur, quod Arianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum reliquias extra fines imperij pepulerit; quod Chalcedonenſe concilium publico edicto ſacroſanctum haberi iuſſerit; quod primus omnium Imperatorum a Romano pontifice, diadema acceperit. De eo ſcribit Nicephorus libro 17. cum in ſynodo quadam Conſtantinopolitana Seueri cuiuſdam hęretici dogmata damnata eſſent; ab imperatore latam legem, Seueri ſcripta conſeruari non debere, ſed ſicubi reperirentur, igni cōburenda eſſe; ſin minus,

Epitome de vitis Imperatorum.

Cap. 9.

nus, vt capitis supplicio in eum animaduerteretur, qui scripta talia sibi seruanda esse statuisset. Eidem hæretico linguam sacrilegam radicitus excisam, iubente Iustino, idem Nicephorus author est. Quod autem de libris Seueri perdendis Constantinopoli decretum erat, idem illud Hormisdas quoque Romanus Pontifex cuius suprà meminimus, celebrata Romæ synodo decreuit, ratumque habuit. Iam verò de Iustiniano principe, qui proximè secutus est, quid attinet dicere? cuius prouida solicitudine factum vt duas illas celeberrimas leges trium principum de quibus antè diximus, saluas habeamus; quas ille in suum Codicem nunquam retulisset, si non eas suo calculo probasset, & suas quoque leges esse voluisset. Qua de re minus dubitabit, quisquis alias eiusdem Imperatoris sanctissimas pro religione leges attentè perlegerit. Et, vt semel dicam, nunquam placuit vel ecclesiasticis vel secularibus principibus eorum libros seruari, quorũ damnarentur errores: sed damnatis errorum authoribus atque magistris, libri eorum, tanquam alteri, perpetuique errorum magistri, semper pro damnatis simul eademque lege, habiti sunt. Id quod perspicuum est euoluenti acta omnium Conciliorum. Et quidem de Niceno alijsque nonnullis iam diximus; nunc alia quædam, sed è multis pauca, summatim per-

Cap. 2.

perstringam. In 5 synodo Oecumenica Constantinopoli habita temporibus Iustiniani, damnantur omnes superiorũ temporum hæretici cum impijs eorum scriptis; canone 11 & sequentibus. In 6 synodo act. 13, condemnantur item aliorum aliquot hæreticorum scripta, & tanquam profana & animæ perniciosa, continuò iubentur, ob perfectum exterminium, igne concremari. quod & factum est. In 7 synodo quæ est altera Nicena, pro venerandis imaginibus habita, editus est canon huiusmodi: Puerilia omnia ludibria, furiosaque dicta, aut scripta quæ aduersus sanctas imagines edita sunt, oportet dare Episcopo Constantinopolitano, vt cum reliquis hæreticorum libris reponantur. si quis autem hæc celare inuentus fuerit: si sit episcopus vel presbyter vel diaconus, deponatur; si autem laicus aut monachus, segregetur. Nihil hoc canone manifestius. In 8 synodo actione 8, vniuersa acta duorum Conciliabulorum quæ Photius hæreticus coëgerat contra Nicolaum Papam & Ignatium patriarcham, mandato Imperatoris Basilij & synodi, combusta sunt. In magno Concilio Lateranensi sub Innocentio 3, damnatur ac reprobatur libellus seu tractatus Abbatis Ioachim, contra Catholicam Petri Lombardi doctrinam editus, de essentia Trinitatis. In concilio Complutensi sub Sixto 4, iussus est

com-

comburi liber cuiusdam Petri Oxoniensis, damnatos aliquot articulos continens. Et hoc quidem prouinciale fuit concilium; at superiora omnia, vniuersalia. Postremo, quoniam sub nouissima hæc tempora ars typographica originem accepit, cuius beneficio cito ac facile liber aliquis in plurima exemplaria diffunditur; qua occasione plurimi errores in multitudinem paruo negotio spargi ac disseminari possent: prudentissimè visum est patribus Concilij Lateranensis sub Leone decimo congregati, tanto periculo maturè obuiam procedere. Quocirca statuerũt sess. 10. ne quis de cætero librum aliquem vel quodcunque scriptum imprimat, aut imprimi faciat, nisi ab Episcopo loci, vel aliquo per eum deputando, diligenter examinatum, & proprij nominis subsignatione approbatum fuerit; addita pœna excommunicationis, vltra librorum amissionem, & publicam eorum combustionem. Eandem porro curam & solicitudinem de supprimendis libris noxiæ & perniciosæ lectionis, patres concilij Tridentini tribus locis declarauerunt. Primum sess. 4. in qua Lateranense decretum renouatur, deinde, sess. 18 vbi queritur synodus suspectorum & perniciosorum librorum, quibus impura doctrina continetur & longè lateque diffunditur, numerum nimis excreuisse; ideoque censet vt eiusmodi libro-

rum

rum Indici conficiendo appositis etiam censuris, delecti aliqui ex patribus præficiantur. Et tertiò, sessione vltima; in qua quid ab illis delectis patribus præstitum sit exponit, præcipitque vt illud ipsum sedi Apostolicæ exhibitum, eiusdem iudicio atque authoritate terminetur, & euulgetur. Quod certè superioribus annis, magno catholicæ religionis profectu, errorum exterminatione, & piorum omnium qui pacatam habere volunt conscientiam, gratulatione, factum, vbicunque Index ille in vsum receptus est, vidimus; &, si Catholici simus, factum gaudemus.

Clarè satis ostensum est, opinor Auditores, & fortassis prolixius quàm res postulabat, tam decreta Conciliorum & pontificum, quam leges Orthodoxorum principum in hanc conuenire sententiam, lectionem librorum hæreticorum, velut pestem ac certissimam perniciem, Christianis omnibus, quos nulla eius rei necessitas constringit, fugiendam esse; idemque iam olim solicite a fidelibus factum; Ipsos verò pestiferæ doctrinæ libros, perpetua Catholicorum consuetudine, perdi, discerpi, cremari solitos; ne quod impietatis vestigium quo posterior ætas corrumpi posset, relinqueretur: simulque perspicuum est, quam vafrè & subdolè ille doctrinę Mahometanæ publicator ac Lutheranæ sectator atque discipulus,

Bibli-

Bibliander, suam apologiam construxerit, qui ex tota antiquitate præter vnam Theodosij & Valentiniani legem, quam iniuriosè perstringit, nihil putauerit attingendum; malens dissimulare cętera tam multa, quàm temeritatē peruersi iudicij sui post tot & tanta præiudicia veritatis, cordatis omnibus prodere, ac deridendam exhibere.

Nunc ordine procedendum esset ad reliquas orationis nostræ partes: sed quia temporis angustijs excludimur, in aliud tempus quæ supersunt, dicenda reseruabimus.

Anno 1585. die 15 Octobris.



ORATIO



ORATIO TERTIA.

De fugienda lectione librorum hæreticorum.



NIHIL esse tam contrarium veritati, tamque à ratione & sensu communi alienum, viri ornatissimi, quod non probabile fieri cogant, & specie veritatis aliqua fucatum infectumque reddant ab ingenijs male feriatis natæ disputationes; tam vetera ac peregrina, quàm noua eaque domestica exempla fidem abunde faciunt. Nota sunt illa philosophorum quorundam veterum dogmatum paradoxa, Nihil posse sciri in rebus; Nihil moueri; Omnia esse in omnibus; Nullam disputantium esse con-

traditionem; aliaq; huiusmodi plurima, quæ ab illis asserta & captiosarũ rationum quibusdam velut coloribus vestita, fidẽ apud auditores inuenerũt. Quorũ tamen absurditas minus cuipiam miranda videbitur, si cum nostræ, id est Christianæ religionis cacophilosophis cõferatur; Hęreticos dico, quorũ priores illi philosophi patriarchæ & prodromi à nonnullis scriptoribus, satis apposité nec minus verè, sũt appellati. Quid enim Simon, Menander, Basilides & tota Gnosticorum schola? Quid Marcion? quid Manichæus, quid Priscillianus? vt alios taceam; an non omnem philosophię gentilis absurditatem, fœda atque infanda suorum dogmatum absurditate superarunt? An non rationi naturali & sensui humano bellum indixisse visi sunt? Quod si ad hodiernos descendimus: certè inueniemus & Adamitas & Catabaptistas illis nihilo saniores. sed tamen hoc genus, vt minus frequens, dissimuletur à nobis. Quid Lutherani & Caluiniani; quorum in castris hostiũ ecclesiæ maxima est multitudo, & prima authoritas? An non supra modum paradoxa sunt pleraque eorum placita, quibus iam mundum impleuerunt? Deum esse peccati authorẽ. Nec posse facere nisi quod facit. Non esse in homine liberum arbitriũ. Omnia hominum etiam iustorũ opera esse peccata. Iustificari hominẽ sola reputatione. Talem esse vnũquemque

quemque qualem se credit. Votis deo factis adstringi neminé. Homini impossibilia à Deo præcepta esse. & huius generis alia pene innumera, partim à veteribus hæresiarchis accepta, partim noua ab incude formata. Omnia verò eiusmodi, vt quàm nudè proposita auditaque absurditatem ostenderent, atque hoc pacto auditorem ab assensu deterrere possent, eam speciosa oratione ac dicendi aliqua probabilitate, velut honesto pallio, circumtecta, insidiosè occultent; præsentem haud dubiè pernicié allatura audientibus, nisi columbinę simplicitati serpentinam prudentiam adiungentes verum à verisimili, & syncerum ab adulterino fucatoque discernere norint. Equidem in hoc genere reponendum arbitror illud cuiusdam Lutherani, contra quod nupera oratione hoc in loco disputare cœperam; Libros hæreticorum non esse tollendos è medio, neque eorum lectionem Christianis interdicendam; sed liberum vnicuique, de ijs vna cum lectione iudicium esse debere. Hoc enim Theod. Bibliander Lutheri discipulus rationibus quibusdam contra omnem rationem astruere atque euincere est conatus. Qua profecto in re, occultam diaboli machinationem licet animaduertere. Videt enim hanc vnam viam, tali parodoxo velut claue semel patefactam, satis esse ad miscendum erroribus or-

bem Christianum, & profligandum quàm longissimè ex animis hominum veritatem, suumque dominatum, euerso Christi regno, apprimè stabiliendum. Quocirca operæ precium duxi susceptam diuina ope cum hoc monstro disputationem, eadem assistente ad calcem perducere. Ostendimus priore disputationis nostræ parte contra fallacem dissimulationem Bibliandri, non modò Pontificum decreta & Canones Conciliorum, sed & leges orthodoxorum principum sancto quodam studio ac zelo pariter in hoc conspirare, vt grauissimis censuris ac pœnis appositis, Christianum populum auocent deterreantque ab eorum lectione librorum, qui damnatam aut suspectam de religione doctrinam continent. Ostendimus & vsu Christiani populi id iam olim solicite perpetuóque obseruatum. Nunc proximum vt quia rationes quasdam obtendit aduersarius, atque insuper etiam experientiam in patrociniũ aduocat; doceamus quã sit & ab omni ratione alienũ & experientiæ contrariũ quod ab eo, tanta causæ confidentiâ asseritur. Primum illud moneo, quod initio totius nostræ disputationis admonebam, me hîc nolle ingredi locum communissimum de vitandis hæreticorum colloquijs & congressibus. Tritum enim est hoc argumentum, & huic loco ad pertractandum minimè necessarium. Neque

enim arbitror Bibliandrum, vel si quis alius cum eo sentit, de apostolicis præceptis in ea parte adeo claris quicquam addubitare. Nobis sufficiat illius argumenti cum isto necessariam esse connexionem. quamcumque enim de illo rationem protuleris, eandem huic communem esse probabo. *Sermo eorum*, inquit apostolus, *vt cancer serpit.* Item, *Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* hæc & huiusmodi siue de sermone sonante intelligas, siue de sermone tacito & in scriptum redacto; quid interest? hoc fortasse, inquies, quod viua vox magis afficit, plusque energiæ habet. At vox scripta manet, quodque semel lecta non persuadet, iterum atque iterum & vel decies relecta persuadebit. semper enim præsto esse potest liber, commodissimus atque obsequentissimus magister, ad omnem discipuli nutum paratus, vt vel taceat, vel loquatur; vel subsistat vel pergat; vel quæ dicta semel, repetat quoties & quando libebit. Huiusmodi nihil in voce viua. Sonum enim fugientem, etsi non intellectum tenere quis poterit, vt eius intellectum capiat? Adde, quod libri, vt pote permansuri & per typographiam in plurimorum manus venturi, solent ad persuadendum accuratius scribi, quàm dici pronunciarive soleat sermo mox periturus, & vacuas mittendus in auras. Est igitur vel par vel etiam maior ra-

2. Timot. 2.

Ro. 16.

tio fugiendæ lectionis noxiæ atque sermonis. Qua de re quidam huius seculi vir doctus, hoc fere modo ratiocinatus est: Lectio legentis est cibus; sicut sermo, audientis. Quantâ igitur cura cibum veneno infectũ auersamur & fugimus, ne corpori mortem adferat: tanta librum hæretico felle tinctum auersari & fugere debemus, ne mortem inferat animæ. Et cùm prohibeat Ioannes ne is qui alienam doctrinam adfert, intra domũ recipiatur quanto magis prohibendum ne eiusmodi doctrina libro inscripta, in animum lectoris admittatur? Præsertim cum omnes natura mali simus, & ad tenebras, in quibus nati sumus, quàm ad lucem, in quam per Christum reformamur, multo propensiores. Vnde etiam sacrarum literarum indagatorem monet Augustinus libro 2 de doctrina Christiana vt literas apocryphas vitet, ne præoccupent imbecillem animum, & periculosis mendacijs atque phantasmatis eludentes præiudicent aliquid contra sanam intelligentiam. Certè natura ipsa nos admonet a periculis quàm longissimè absistere. Idem admonet & scriptura sacra. *Nunquid potest homo,* inquit Salomon, *abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Quem locum exponens Venerabis Beda, sic ait: Soli ei conceditur hæretico-

Pro. 6.

rum

rum libros légere, qui adeo solidatus est in fide Catholica, vt verborum dulcedine vel astutia nequeat ab ea segregari. Alioqui, satius est pericula cauere quàm ea non sine periculo vincere, Cum iuxta Cypriani ad Pomponiũ scribentis, certissimam sententiam, Nemo diu tutus esse queat, semper periculo proximus. Et quidem vsque adeo ab hoc periculo abesse populum Christianum vult August. sermone 31 de verbis apostoli, vt iudicet, hæreseon atque errorum ignorantiam eam qua nec nomina eorũ nouerint, esse plerisque tutiorem. Nam vt in simili argumento ait Tertullianus de præscrip. Ignorare melius est, ne quod non debeas, noris. Est locus apud Leonem sermone 5 de ieiunio 10 mensis, de colloquijs hæreticorum vitandis; quem, quoniam etiam ad scripta colloquia pertinere non est dubitandum, hîc memorandum putaui. Diabolus, inquit, fideles quos apertis & cruentis persecutionibus impugnare non sinitur, sub falsa Christiani nominis professione corrumpit; habens hæreticos huic operi seruientes, quos a catholica fide deuios, sibiq́ue subiectos, militare in castris suis sub diuersis erroribus, fecit. Et sicut decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis assumpsit; ita horum linguas ad seducendos rectorum animos, veneno suæ falsitatis armauit. Sed ijs insidijs

dilectissimi, ait sanctus Pontifex, pastorali sollicitudine, in quantum dominus auxiliatur, occurrimus; & ne quid de sancto grege pereat præcauentes, paternis vos denunciationibus admonemus, vt labia iniqua, & linguam dolosam, a quibus animam suam propheta liberari postulat, declinetis: *quoniam sermo eorum*, sicut ait beatus apostolus, *serpit vt cancer*. Audi sequentia, Humiliter irrepunt, blandè capiunt; molliter ligant, latenter occidunt. Veniunt enim, sicut seruator prædixit *sub vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces*; quia non possent veras & simplices oues fallere, nisi Christi nomine tegerent rabiem bestialem. hucusque S. Leo. Quæ verba etsi ad solum sermonem pertinere quis contendat; negare tamen non poterit, nihil hîc dici quod non ad hereticorum scripta, vel æquè vel magis etiam, referri possit. Nam peius esse & periculosius scripta eorum legere, quam sermonem cum ijs miscere; præter ea quę modò dicebamus, etiam hac ratione conuincam. Etenim qui scripta hæreticorum legit & voluit, audit quidem eos; sed si quid dicere velit, non vicissim auditur. Itaque peruerti ab illis potest; conuertere autem eos vicissim non poterit. At si sermonem cum eis habeas; & audis tu eos, & ipsi te audiunt. Quare, sicuti metuendum ne sermone suo te peruertant; ita sperari vicissim

queat,

queat, tuo illos sermone ab errore suo reuocandos. Igitur in colloquio quod subest periculum, aliqua spe fructus excusetur fortassis; at in lectione, vbi audis, & non audiris, quæ tandem suscepti periculi excusatio fuerit? si toxicum domi haberes; vehementer caueres ne quo casu, tuis misceretur edulijs. At istud verum toxicum animæ, sciens & prudens misces cibo animæ tuæ dum inter libros tuos reponis; & non misces tantum, sed & degustas, vel dulcedine eius delectatus, vel curiositate seductus, nesciens quoniam mox vt haustum fuerit letali vulnere percutit animam tuam. Ab apostolis petamus exemplum de quibus refert Irenæus lib. 3. noluisse eos vel verbo cum hæreticis communicare. Verbum enim vt rem minimam posuit. Si noluerunt apostoli, gregis arietes; quid nos pusilli & imbecilles, & vix ouium nomine digni? si non verbo communicare; quid epistolas & libros legere? si non, Aue dicere; quid librum intra penetralia recipere, in conclaui ponere, aperire, voluere ac versare; hoc est viperã in sinu fouere, cuius occulto morsu mox pereas? Neque enim apostolis si quid tale fecissent, quantum opinor, ab errore periculum erat; sed nos illorum exemplo instruendi fuimus, ne periculum amantes in illo pereamus. *Quæcunque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.* Cap. 3.

Iacob

Genes. 35. Iacob Patriarcha iubet idola in terram defodi;
Reg. 7. Samuel pręcipit vniuerso populo Israel vt auferat Deos alienos de medio sui; Moyses, imo per Moysen Deus euerti, succidi, confringi,
Deu. 7. comminui, & comburi mandat altaria, delubra, lucos, statuas aliaque omnia falsi cultus monumenta, atque instrumenta. Nihil horum in alium vsum vtilitatis prætextu conuerti fas erat; sed tollenda perdendaque omnia, ne qua peccandi materia apud populum relinqueretur. Hæc porro in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad instructionem nostram. Horum significationem nobis aperiunt Tertullianus aduersus Gnosticos, & Hieronymus in explicatione prophetarum. Idola, hæreses sunt; altaria, luci, delubra, omnium eorum quibus velut adminiculis & instrumentis pestes illæ fouentur, figuram prætulerunt. In hoc genere, primi sunt hæreticorum libri, quibus sua in vulgus dogmata spargunt; quos qui specie vtilitatis contra ecclesiæ legem seruandos putauerit, nihilo magis maledictum legis euadet, quàm qui olim sculptile aut conflatile aut aliud quodcunque anathema surripuisse atque occultasse deprehensus fuisset. Nota est historia Achan qui vsurpauerat de anathemate, de quo pronunciatum erat voce
Iosue 7. Iosue & iussu Dei, maledictũ eum fore & male periturum quicunque de anathemate aliquid

con-

contingeret. Et qui vrbem Iericho anathemate deuotam reædificaret, In primogenito Iosue. 6.
ſuo, inquiebat Ioſue, fundamenta illius iaciat; & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius. Atqui paſſim in concilijs Patres anathema dicunt ſcriptis hæreticorum: ſcripta igitur illa noſtri temporis anathemata ſunt, eo nocentiora quo ſuam habent ad perſuadendum linguam ſemper inſtructam ſemperque paratam, in perniciem legentis, cuiuſmodi nihil vetera illa habebant. Quare verendum ſummopere eſt ne cum Achan illo pereat, & cum reædificatore Iericho omnium bonorum operum ſuorum à primo vſque ad nouiſſimum tanquam filiorum ſuorum fructum, perdat, ſi quis hæc animarum anathemata à patribus damnata atque deuota, non à ſe quàm longiſſimè remoueat abijciatque; imo non confeſtim ignibus tradat, vt ipſe ſempiterni ignis periculum euadat. Dicet mihi fortaſſis aliquis, Quod tandem hîc periculum eſt, ſi hæretici cuiuſpiam librum in manus ſumam, leuiterque percurram, quicquid boni reperero velut ſpolium Ægypti mihi in vſum vendicem; erroribus minimè acquieſcam; nimirum mihi ſatis conſcius firmitatis fidei meę? Primùm, contra illam firmitatis fiduciam, tibi quiſquis es, reſpondeo, non meis ſed ſcripturæ verbis; *Noli altum ſapere ſed time. Qui ſe exiſtimat ſtare,*

videat

videat ne cadat. Qui amat periculum, peribit in eo, beatus homo qui semper est pauidus: audi & illud psalmistæ quisquis in tua virtute præsumis; Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum. Et quid sequitur? *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*. Deinde vt propius periculum agnoscas & caueas, quisquis tibi prudens cautusque videris; inprimis scire te oportet, hæreticos, vtpote malarum causarum patronos, quo eas dicendo ex malis bonas faciant, summo studio in hoc incumbere, vt nihil prætermittant quod quocunque modo causæ seruiat. Quare vndique ad inescandum lectorem, illecebras conquirunt. Hinc illæ in scriptis eorum verborum phaleræ, sententiarum apparatus, orationis suauitas, nihil non ornatum, nitidum, tersum. Ciceronem aliquem vel Quintilianum loqui putes; tanta scriptis eorum inest elegantia & vis persuadendi. Quo in genere catholicos scriptores ab ijs plerumque superari, non inuiti fatemur, & res ipsa docet. Veritas enim fucum non quærit, per se pulchra & amabilis. De Christi sponsa scriptum est, *Omnis pulchritudo eius ab intus*. At meretrix illa Babylonica, intus deformis & abominabilis, foris cultum quærit ascititium. Porro non capi, aut certè non moueri hoc tanto verborum atque orationis lenocinio, non cuiusuis est, sed paucorum.

rum. Accedit & aliud ad periculi grauitatem; Multa sunt in religione nostra ardua atque difficilia quæ proinde fidem potius exigunt quam scientiam. *Est enim fides argumentum non apparentium*; Argumenta autem quibus hæc impugnatur, vt pote corruptæ rationi consentanea, sæpe magnam habent probabilitatem. Quæ verò eiusmodi sunt, diligentissimè solent ab hæreticis ad labefactandam veritatem, tum verbo tum præcipuè scripto inculcari. Iam verò constat esse paucissimos qui omnia ea ita dissoluere queant, vt animo suo planè satisfaciāt. Quid igitur restat, nisi vt qui in talium lectionē incidens, ea, vt plerique, dissoluere nequit; vel in assensum trahatur erroris, vel in dubitationem incidat (quo quidem vtroque modo fidei naufragium patitur): vel certè scrupulū aliquem, velut aculeum animo lectoris infixum lecta istiusmodi argumenta post se relinquāt? quem deinde magnitudo & firmitas rectæ fidei euellere atque eximere vix tandem possit. Celebre est illud Tertulliani, in libro de præscriptionibus aduersus hæreticos, In ipso, inquit, congressu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hoc ille de disputatione quidem, sed aptissimè ad institutum nostrum. Quisquis enim librum hæreticum legit, disputationem suscipit, à qua vel fatigatus vel victus vel saucius abscedat.

Ca. 14.

abſcedat.

Ex his porro perſpicitur, quanto ad nocendum plus valeat lectio authoris hæretici quàm poëtæ laſciui: quem tamen vrbe pellendum in ſua republica cenſuit Plato. Nam ſcripta laſciua non ratione, non argumentis perſuadent turpitudinem, ſed ſola orationis dulcedine teneros & in libidinem pronos illiciunt atque inficiunt animos adoleſcentum; quos tamen ratio paulo pòſt ad ſe reuerſa ſanare facilè poteſt. At ſcripta hæretica præter illectamenta verborum, ſpeciem adferunt argumentorum, quibus verum eſſe quod dicitur, etiam rationi perſuadetur. Quo fit vt malum ex iſtiuſmodi lectione inflictum, non niſi clara argumentorum ſolutione, & certiſſimis in contrarium argumentis, curari ac ſanari poſſit, ac ne hac quidem via frequenter ſanetur. Fugiendum igitur eſt totum hoc genus, ſiue laſciua poëmata ſiue hæreticorum ſcripta, tanquam noxia moribus, noxia religioni; Et quantum religio caſtitatem præcellit; tanto maiorem ſui curam tantoque diligentiorem impiorum dogmatum fugam, requirit. Nec alio certiore remedio tantum malum ſuperatur. In vna fuga pene omne præſidium eſt. Cum enim non vnius generis ſint mala; & alia pugnando, alia fugiendo facilius certiuſque ſuperentur: in hoc poſteriori genere cumprimis locum tenet hære-

hæretica lues. *Fugite fornicationem*, ait apostolus, & alio loco; *Fugite ab idolorum cultura*. & propheta, *Fugite de medio Babylonis*. Certè notum est omnibus qui rectè sapiunt, fornicationis & immundiciæ spiritum illum Asmodęum, à castis animis non tam pugnando abigi, quàm fugiendo expugnari. At fornicationis nomine cultum idololatricum in scripturis significari, norunt qui prophetas legerunt. Porro idololatria quid typicè significet, suprà diximus; nimirum omnium hæreticorum dogmatum varietatem, Hieronymo teste. Si igitur, iuxta apostolicum præceptum fugienda est fornicatio, fugienda idolorum cultura; si iuxta propheticam admonitionẽ fugiendum de medio Babylonis: quomodo non omni conatu fugienda hæresis, quæ mysticè fornicatio est, & idololatria, & primum in Babylone, quæ *mater fornicationum* à Ioanne dicitur, dominatum obtinet? Aut quomodo quis dicet eam se fugere; si in eorum versatur librorum lectione, qui eam docent, propugnant, confirmant? Nihilo magis profectò quàm si dixerit quispiam adolescens castitatem se amare, lasciuiam fugere, & tamẽ libenter voluat poëtas lasciuiæ magistros, hostes castitatis. Atque hæc de periculo. Quæ prima & potissima causa fuit, tam ecclesiæ præfectis quàm seculi principibus, legibus latis interdicendi librorum hæretico-

1. c. 6. Et 10. Ier. 51.

Apocal. 17.

rum lectionem. Sed fingamus vel nihil vel parum esse periculi an ob id cessabit prohibitionis ratio? Minimè verò. Libelli famosi quibus vel principis, vel magistratus vel etiam plebeij cuiuspiam fama proscinditur, læditur honor, nomen infuscatur, etiamsi manifestè mendaces sint; legibus prohibentur, & apud quemcumque reperti fuerint grauiter puniuntur: & libros quibus nomen Dei blasphematur, maiestas læditur, sacrosancta religio oppugnatur, ecclesia Christi sponsa infamatur; etiamsi periculum abesset subuersionis legentium, impunè habere, legere, versare licebit? Quod si quæras, Qua lege Dei, libros huiusmodi habere aut legere prohibeatur populus Christianus: Primùm, sufficere debet pijs subditis leges ecclesiæ, & religiosorũ principum, quibus nos obedire præcipit lex Dei. Deinde quæram ego vicissim, qua Dei lege prohibitus fuerit Israëliticus populus seruare monumenta profanorum cultuum, iussus eadem destruere atque abolere: Quod si mihi respondeas, & quidem rectè, omnem eiusmodi prohibitionem atque iussionem ad primum decalogi præceptum pertinere, inque eo contineri; idem à me quoque respõsum puta. Qua enim lege, verus Dei cultus præcipitur; eadem omnis falsus cultus prohibetur: cum quo simul omnia falsi cultus monumenta, instrumenta

menta & adminicula prohibita censentur; siue ea idola sint, siue altaria, siue delubra, siue libri superstitionum, hæreseon, ac malarum artium magistri; ita vt horum nihil seruare, sed cuncta disperdere oporteat. Quod vsque adeo animis semper hominum insitum fuit, vt eadem cura gentiles quoque pro suis, tametsi falsis, religionibus tenuerit. Narrant rerum Romanarum scriptores olim, Cornelio & Bebio Consf. ex decreto senatus Romani crematos publicè in frequenti foro libros repertos in monumento Numæ, propterea quod cum religione publicè recepta parum consentire viderentur. Et Vlpianus lege 4. familiæ Herciscundæ, de iudicis officio sic loquitur; Tantundem debebit facere & in libris improbatæ lectionis, magicis, & his similibus. Hæc enim omnia protinus corrumpenda sunt. Ecce studium sanctarum legum, etiam inter homines non sanctos, & veræ pietatis exortes. Profecto surgent isti in iudicio, contra generationem istam; & condemnabunt eam. Sed quid ego ab ethnicis caussæ patrocinium peto? Vel ipsos aduersarios & ecclesię inimicos faciamus iudices, & ab ijs exempla petamus. quo enim zelo pro sua perfidia armati sunt; eodem nos pro sancta religione armemur. M. Lutherus vt primum contra ecclesiam furere cœpit, in odium Rom. Pontificum, decretum Gratiani

Sabel. 5. Dec. lib. 7.

cum Decretalibus, hoc est, vniuersum corpus Canonicum flammis consumpsit. Et probè eum imitantur sectatores eius, imo & aliarum sectarum hæretici. Etenim vbique studiosè supprimunt libros quibus Catholica fides defenditur; ne ab ijs secta detrimentum accipiat. Scio non raro accidisse, vt qui suę sectę impensius studet, mox vbi prodierit liber Catholicus qui sectæ videatur egregiè nociturus; vniuersa simul exemplaria à typographo iusto precio coemerent, disperderentque, priusquam in vulgus sparsa, religioni, vt ipsi loquuntur, noxam adferrent. Iam vero qui inter eos Rabbini sunt, principio nihil ęquè cauent, quam ne sui auditores aliunde nanciscantur librum Catholici cuiuspiam cõtra se conscriptum; sed quicquid tale est, si forte ad illos peruenerit, confestim eorum manibus excutiunt. Inter eos Ioannes Placotomus Lutheranus, in sua schola, siue Latinæ scholæ constitutione, legem istiusmodi statuit. Cauendum fidelibus etiam, atque etiam præceptoribus, ne scholastici in Musæo suo malos, inutiles, pietati & moribus noxios authores habeant, aut priuatim legant. Sed ne legem puerilem contemnas: accipe è vicino legem sanguinariam. Etenim in Angliam libros Catholicorum inuexisse, aut quoquo modo penes se habere, capitale est, & quidem lege recentissima. At minimè

nimè


ximè recenti exemplo. simile enim studium vetustis hæreticis eorumque principibus fuisse probat historia ecclesiastica. Extant apud Euagrium libro 2 capite 4 literæ Basilisci Imperatoris hæretici, quibus omnia acta Chalcedonensis concilij vbicunque reperta, ignibus tradi mandat; allegans tamen & ipse principum Catholicorum exemplum Quandoquidem, inquit, Imperatores piæ ac beatæ memoriæ Constantinus & Theodosius iunior, qui ante nostram vixerunt ætatem, eodem modo de omnibus hæreticorum dogmatis decreuerunt. Ita ille exemplo Catholicorum principum factum suum tuetur; studio simili, sed caussa diuersa planéque contraria. Non dissimile est quod apud Sozomenum legitur lib. 2 cap 13. vbi refert episcopos aliquot Arianos Constantinopoli congregatos contra nouum quoddam, vt ipsi calumniabantur, dogma Marcelli episcopi Ancyrani: damnato dogmate scripsisse ad vicinas ecclesias, vt Marcelli librum quo doctrina illa continebatur conquirerent eumque cremandum curarent. Hęc & eiusmodi exempla ab aduersarijs sumpta merito cautiores, prudentioresque reddere nos Catholicos deberent; vt zelum quem illi contra religionem, nos pro religione prestemus; si non maiorem, certè parem. Quamuis enim Domino attestante, *filij huius seculi pru-* Luc.16.

dentiores in generatione sua sint filijs lucis : nos tamen, qui Dei gratia filij lucis sumus, eodem Domino exhortante, illorum prudentiam saltem imitari debemus. Quam ob causam etiam serpentinam astutiam discipulis suis
Matth. 10. imitandam proposuit, dicens; *Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ.* Qua verò in re serpentinam nobis prudentiam imitandam putemus? Dauid psal 57. de quibusdam perditis hominibus loquens, *furorem illis* adscribit *secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Hoc serpentis exemplum, quod peruersè peruersi illi in quos propheta inuehitur, imitantur; nos iuxta domini admonitionem rectè & prudenter imitemur. Quid aliud hęretici sunt quàm venefici; & quid aliud sapiens veneficorum incantatio, quàm blanda & doctè composita hæreticorum oratio? *sapienter* enim, idem est quod doctè, at-
Psal. 46. que ex arte. Vnde illud, *psallite sapienter*. Et quid aliud aspis surda & obturans aures suas, ne vocem exaudiat incantantium; quàm prudens Catholicus, prudentiæ serpentinæ sedulus imitator, obturans aures, ne voces audiat; & oculos claudens, ne vel literas videat, ab illis profectas *quorum sermo velut cancer serpit*; *qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda.*

corda innocentium, hoc eſt, eorum qui columbæ quidem ſimplicitatem habent, ſed quia prudentiam ei non adiungunt ſerpentis, expoſiti ſunt ad ſeductionem periculis errorum. Neque enim per voces & verba tantùm, ſed etiam per literas & characteres, incantationes & veneficia exerceri, notiſſimum eſt. Quare vtrumque genus, tanquam duos exitiales ſcopulos, omni ſtudio, ſummo conatu, quiſquis Catholicam fidem, imo ſalutem ſuam, amat, & ab exitio volet eſſe quàm longiſſimè remotus; fugiendum ſibi nouerit.

Satis nunc, vt arbitror, oſtenſum eſt argumentis tam ab exemplo, quàm à ratione petitis, quàm cum ratione & ſenſu communi pugnet portentoſum illud Bibliandri paradoxum, publicandos eſſe hæreticorum libros neque ab eorum lectione Chriſtianos legibus principum vel decretis Pontificum, deterrendos. Cætera quæ ſuperſunt huius argumenti, quia nunc receptui nobis canendum eſt; in aliud opportunum tempus ſeruemus.

Habita eſt hæc oratio anno Domini 1586. die 21 Ianuarij.



ORATIO QVARTA.

De fugienda lectione librorum hæreticorum.



E mortifero ſirenarum cantu, & venenoſi ſerpentis afflatu vitando, id eſt, de fugienda lectione librorum doctrinam hęreticam ſpirantiũ, ſemel & iterum dixi hoc in loco & tali in conſeſſu, qualis hic veſter eſt conſeſſus, viri ornatiſſimi; Prima quidem oratione id conatus, vt contra cuiuſdam hæretici hominis ſeu craſſam inſcitiam, ſeu improbam diſſimulationem, monſtrarem, omnibus ſeculis, Chriſtianos & Catholicos principes leges & edicta ſanxiſſe aduerſus eos

qui

qui libros hæreticorum legerent, aut omnino apud se retinerent: Altera verò, vt ostenderem quam iustis & necessarijs id rationibus factum fuerit, atque hodie fieri etiam multo magis oporteat. De quo vtroque argumento multa sunt à me prætermissa, quæ vel ipse, si non angustiæ temporis orationem nostram adstrinxissent, vtiliter adijcere poterã, vel alius quispiam ingenio, doctrina, & sermone instructior adferre in medium potuisset; sicut & eadem illa, quæ à me dicta sunt longè tractare felicius. sed tamen ea ipsa quæ pro tempore diximus, eiusmodi sunt vt & aduersarij vanitatem manifestè coarguant, & ad persuadendam veritatem cordatis omnibus abunde sufficiãt. Itaque dudum perfunctus illo disputationis officio videri possem, nisi perspicerem illud adhuc à me iure desiderari, vt quemadmodum certissimis argumentis monstraui, quàm sit hæreticorum librorũ lectio Christianis perniciosa; ita vicissim tum memorati scriptoris, tum aliorum si qui cum eo sentiunt, argumentis, quibus illi rem tam perniciosam persuadere nituntur, respondeamus. Nam sicut peritus medicus, vt sanitatem ægroto restituat, non tantùm boni succi nutrimentum præbet, verùm etiam è corpore noxios educit humores; & sicut boni militis officium non in eo tantùm versatur, vt hostem feriat, verùm

etiam vt ferientis tela repellat; Ita qui disputationem aduersus aliquem erroris magistrum susceperit, non satis habebit veritatem ipsam luculentis argumentis ostendisse; nisi & ea, quibus error defenditur, argumenta, velut hostium tela quædam ex aduerso immissa, repulerit, eluserit atque destruxerit. Hoc igitur est, auditores, quod præsens oratio vobis promittit.

In ea namque respondebimus ad illa quæ vel aduersarius obijcit, vel ab alijs imperitis & curiosis, ac proprię salutis incurijs hominibus, & prætextum aliquem noxiæ curiositatis suæ quærentibus, adferri solent; quamquam ea sint ad efficiendum quod volunt infirma atque inepta, Deo donante commonstrabimus. Vt autem ab eo quod præcipuum est, exordiar, Apostolũ Paulum ante omnia sibi patronum assumunt, cuius hanc aiunt, apertissimam esse sententiam in priori ad Thessal. epistola, dicentis; *Omnia probate, Quod bonum est, tenete.* Igitur, inquiunt, & hæreticorum libri legendi sunt, vt quicquid ab illis scribitur, à legente probetur, discutiatur, examinetur ad normam verbi Dei & rectæ rationis; solumque illud quod bonum, id est, verbo Dei rectæque rationi consentaneum, inuentum fuerit, teneatur, cæteris omnibus reiectis atque repudiatis. Huic porro tantæ, id est, apostolicæ authoritati,

tati, subnectunt interpretationem & exempla sanctorum Patrum, qui vel apostoli sententiam, in hunc sensum quem diximus, acceperint, vel suis ipsi factis, velut practica quadam interpretatione, eum sensum confirmarint, aliosue ad tale quid faciendum hortati fuerint. Ioannes Chrysostomus optimus Pauline mentis interpres, Omnia, inquit, probate, seu vera seu falsa, vt cum examinatione discernatis, & ab illis quidem abstineatis, his verò adhæreatis. Ita enim & illorum vehemens erit odium, & horum amor; quando non leuiter, & citra considerationem atque examen, sed exactè, & accuratè omnia feceritis. Chrysostomi vestigijs inhærens Theophylactus, neque latum ab eo vnguem discedens, ita breuiter; Omnia probate, hoc est, & vana & vera cum probatione iudicate; tumque quod visum est bonum, retinete. Augustinus certè in libro de natura & gratia cap. 39 videri potest quàm maximè istis patrocinari, dum locum apostoli paululum mutando sic expressit, Omnia legite: quæ bona sunt t. nete. Videamus autem & exempla quæ proferunt. Dionysius Alexandrinus, Eusebio Cæsariensi referente lib. 7 hist. eccl. cap. 6. in epistola quadam de baptismate ad Philæmonem Romanum presbyterum scripta, testatur se libros hæreticorum & traditiones perlegisse; atque hoc ex eâ re commodi percepisse,

cepisse, vt eorum peruersa dogmata multo quàm antè vehementius detestaretur. *Et cùm quidam* (inquit) *ex numero presbyterorum me vetaret, deterreretq́ à legendo, ne turpi prauitatis & peruersæ eorum doctrinæ cœno contaminarer (meam enim mentem errorum labe pollui asseruit) cumq́ vera, meo quidem iudicio, diceret; visio quædam cælitus ad me demissa me confirmauit, & vox ad aures allapsa manifestò præcepit ad hunc modum; Omnes libros quos sumis in manus, euolue sedulo.* Tum deinde subiungit; *Visionem vt potè ritè consentaneam voci apostolicæ lubens equidem approbaui.* Hæc apud Nicephorum lib. 6 cap. 8 totidem penè verbis repetuntur. Hoc vnum est exemplum. Alterum in Cyrillo Hierosolymorum episcopo, qui in catechesi sexta Illuminatorum, cum de Manichæorum impijssimis atque absurdissimis dogmatibus prolixè disseruisset, illiusque sectæ plurima prodidisset arcana; tandem, in Manichæorum libris ea omnia scripta se legisse, palam confitetur. Tertium exemplum in Hieronymo, qui in epistola ad Minerium & Alexandrum scripta super intellectu verborum apostoli, *Omnes quidem dormiemus*, sub finem ita de se loquitur; *Si quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco; sciat me illud apostoli libenter audire, Omnia probate, quod bonum est, tenete; & saluatoris verba,*

verba, dicentis; Estote probati nummularij; vt si quis nummus adulter est, & figurã Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur; qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur. & infra, *In terra aurum quæritur, & de fluuiorum alueis splendens profertur glarea, Pactolusq́; ditior est cœno quàm fluento. Meum propositũ est antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide ecclesiæ catholicæ non recedere.* sic ille. Cuius etiam in lib. 2 Apologiæ aduersus Ruffinum de scriptis hæreticorũ, hæc sunt verba; *Quæ nunc cõpellor legere, quæstione hæreseos suscitata; vt sciã quæ vitare debeam, quæ probare.* Quartum exemplum in Ambrosio constituunt, qui initio commentarij sui supra Lucam, de discernendis euangelijs veris à falsis loquens; *Legimus aliqua* (inquit) *ne negligamus; legimus ne ignoremus; legimus non vt teneamus sed vt repudiemus, & vt sciamus qualia sint, in quibus magnificè isti cor exaltant suum.* Quam Ambrosij sententiam in decretũ suum retulit Gratianus, distinctione 37. Quintum & postremũ ac velut præcipuum exemplum in Augustino constituitur, vt qui non tantum ipse libros hæreticorum diligenter euoluit, Manichæorum dico, Arianorum, Donatistarum, Pelagianorum, cum quibus ei quotidiana erat pugna; verùm etiam lectorem suum admonet & hortatur vt idem faciat. Nam in Ticonij cuiusdam Donatistæ Lib. 3. de doctr. Christ. c. 30.

ristæ librum, in quo fatetur eum hæresi suæ consentanea scripsisse, commendat tamen tanquam elaboratum & vtile opus; atque hæc verba subijcit: *Quod ideo dicendum putaui, vt liber ipse legatur à studiosis; quia plurimum adiuuat ad scripturas intelligendas.* Et ad Restitutū Diaconum scribens epistola 69 rursus eum hortatur vt Ticonium legat, non tamen eius omnia approbet. Eidem Augustino authori vel certè suffragatori tribui meritò poterit illud 4 Carthaginensis concilij (cui Augustinus interfuit & subscripsit) decretum, à Gratiano quoque recitatum, *Vt Episcopus gentilium libros non legat; hæreticorum autem perlegat pro necessitate & tempore.* Nam hunc locum aduersarius nominatim ex Gratiani decreto nobis obijciendum putauit. His ferè præceptis, testimonijs, atque exemplis, niti se profitentur, qui librorum hæreticorum lectionem vel vtilem asserunt, vel à noxa defendunt. Quare quantum hæc ipsa momenti habeant ad persuadendum quod illi volunt, nempe liberum vnicuique esse oportere vt libros hæreticam, vel dubiam vel suspectam in religione doctrinam continentes, sicubi eos nancisci potest, legat, relegat, ac reuoluat; neque id vllis humanis legibus siue ab ecclesia siue à principe profectis, inhibendū esse: nimirum illud est, quod nunc expendendū sumpsimus.

Equi-

Equidem spero atque cõfido me liquidò monstraturum ea quæ velut aduersa proferuntur, adeo nobis non aduersari, vt nostram hanc ac totius ecclesiæ sententiam constabiliant atque illustrent magis. Nam vt de eo quod primum opponebatur, primum respondeam: dixit quidem apostolus, *Omnia probate*; sed neque omnibus hoc dixit, neque de omnibus. Quomodo enim omnibus hoc dixit, qui alibi testatur *non omnia corporis membra eundem actum habere*? aut quomodo omnibus hoc dixit, qui non omnibus sed quibusdam tantum tribuit discretionem spirituũ? videlicet eam enumerans inter particularia, & non omnibus passim communia spiritus sancti dona. Quonam autem modo rectè probare quis poterit ea quæ legit, nisi discretione spirituum instructus? An non eiusdem apostoli sententia est. *Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei; spiritualis autem iudicat omnia. Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.* Nam & ibi Corinthios, & hic Hebræos increpat apostolus velut adhuc animales, & carnales & paruulos in Christo quibus lacte opus sit, non solido cibo. Non omnes igitur sed perfecti soli, sensus habent exercitatos atque idoneos ad probandum, id est ad discernendum à malo bonum. At dices mihi apostolum generatim scri-

Rom. 12.

1. Corinth. 12.

1. Corinth. 2. & alio loco.

1. Corinth. 3. Heb. 5.

ſcribere ad Theſſalonicenſes, ideoque omnibus hoc dictum eſſe, *Omnia probate*. Reſpondeo rem eſſe notiſſimam apoſtolum Paulum ſcribere ad eccleſias; Cæterùm præcepta quæ in epiſtolis tradit non omnia ad omnes & ſingulos qui in eccleſia ſunt, pertinere, ſed quædam tradi omnibus, quædam præfectis ac maioribus tantùm, quædam tantùm minoribus, quædam alij certo hominum generi. Verbi gratia, omnibus dictum eſt; *Odite malum,*
Rom. 12. *Adhærete bono, Charitate fraternitatis inuicem diligite*, & alia quam plurima. Præfectis ſolùm
1. Cor. 5. præceptum eſt: T*ollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit*. Et iterum; *Auferte malum ex vobis ipſis*. Et illud ad Coloſſen 4 *Dicite Archippo, Vide miniſterium, quod accepiſti in domino, vt illud impleas*. Perfectioribus & firmioribus tantùm
Rom. 14 dicitur: *Infirmum in fide ſuſcipite*. Et alibi, *Si præ-*
Gal. 6. *occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.*
Heb. 13. Minoribus autẽ illud; *Obedite præpoſitis veſtris*. Rurſum alia ſunt apoſtolica præcepta ad parentes, alia ad filios, alia ad dominos, alia ad ſeruos, alia ad viros, alia ad vxores, denique ad ſenes, ad iuuenes, ad anus, ad adoleſcentulas alia. Ex quibus planè perſpicuum eſt non omnia quæ ſunt in Paulinis epiſtolis præcepta, ad omnes pertinere; quod vel ex eo ipſo loco vnde deprompta eſt ſententia, quam nunc tractamus,

ctamus, potest doceri. Nam illa præcepta, *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos*; vel solum vel potissimum ijs tradita sunt, quibus aliorum est cura commissa, Quare & illud quod statim sequitur *Omnia probate*, tametsi ecclesiæ Thessalonicensium dictum est, non omnibus tamen sed ijs tantum qui præsunt quique spiritus probare ac discernere poterant, dictum esse conuenientissimè intelligitur. ait enim *spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere*. deinde sequitur. *Omnia probate, quod bonum est tenete*. Quo loco notandú est, sicut apud Corinthios in publico fidelium conuentu erant qui spiritu incitati, vel futura prædicerent vel scripturę sacræ mysteria explicarent, qui quidem prophetæ dicebantur; quos tamen ne quid fortè sanæ doctrinæ dissentaneum effunderent, ab alijs prophetis dijudicari oportebat, dicente apostolo, *prophetæ autem duo vel tres dicant*; *& cæteri dijudicent*. Ita & in ecclesia Thessalonicensium fuisse qui prophetarent. Sed cum interdum veris prophetis falsi se miscerent, eamque ob causam Thessalonicenses omnem prophetam omnemque prophetiam auersarentur, verum à falso, & rectum à prauo nequaquam facilè secernentes: admonet eos apostolus, ne prohibeant quin quisque vel suam prædictionem, vel scripturæ expositionem in medium

1. Thess. 5.

1. Cor. 14.

adfe-

adferat, dummodo ordinatè id fiat, iuxta illud:
1. Cor. 14. *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis* (hoc enim prohibere, esset spiritum extinguere, & prophetias spernere). Cęterum dandam esse operam vt ab ijs qui diuinorum mysteriorum peritiores sunt (quales maximè oportet esse eos qui præsunt) probentur, atque ad normam verbi Dei & rectæ rationis examinentur quæ dicta sunt; idque solum quod verum, rectum & bonum iuuentum fuerit, teneatur. Non ergo ad omnes, neque ad multos, sed ad paucissimos iudicium illud probationis seu discretionis, ex apostoli sententia pertinebat. Iam verò sicut non ad omnes fideles. ita nec de quibuscunque dogmatibus esse dictum, *Omnia probate*, tam clarum esse arbitror, vt de eo nemo sanę mentis dubitet, etsi fidei Catholicæ sit aduersarius. Nunquid enim probandum, examinandum, discutiendum erit, si quis hodie dicat aut scribat, quæ hæretici docuerunt & scripserunt; verbi gratia duos esse deos, bonum & malum, alterum noui testamenti, alterum veteris authorem; Christum non in vera carne sed phantastica mortalibus apparuisse, passum & mortuum esse; nec pręmia bonorū nec supplicia malorum æterna fore, sed finem aliquem habitura; atque alia eiusmodi? ac non potius, si quid tale nostris auribus insonuerit, nullo adhibito

exa-

examine statim velut manifestè impium, & fidei nostræ contrarium, exsibilabitur? Igitur de ijs haud dubiè sententia Paulina accipienda venit, quæ nondum publico ecclesiæ decreto iudicata, & vel approbata fuerint vel improbata. Horum enim adhuc restat probatio, non quidem à priuato quocunque homine, vt iam ostendimus, sed à doctis & spirituum discretione donatis & spiritualibus in ecclesia viris, instituenda. Quæ verò semel iudicata sunt, ea quasi dubia rursus ad examen reuocare velle, intoleranda præsumptio est. Atqui dogmata hæreticorum tam noua quàm vetera, iam iudicata, iam damnata sunt; & libri eorum proscripti, non vnius Corinthiensis, aut Thessalonicensis; sed Romanæ, Catholicæ, apostolicæ ecclesiæ decreto, atque iudicio. Quæ igitur insania est, post tam graue, certum atque irrefragabile iudiciũ, cantare & recantare illud apostolicum, sed pessimè intellectum, *Omnia probate*? Quin potius sibi ipsis occinunt illud quod sequitur, *Quod bonum est tenete*? Nam quomodo ille quod bonum est tenet, qui post factam legitimam probationem, bonum iudicatum non agnoscit; sed suam sibi adhuc priuatam probationem reseruat, quasi studio discendi, cùm viam inueniendæ veritatis tenere contemnat? De talibus enim alibi dicit apostolus, *Quòd sint semper discentes, & nunquam ad* 2.Tim. 3.

scientiam veritatis peruenientes. Aut quomodo quod bonum est, tenet, qui quod malum est non reijcit? paris enim rationis sunt bona tenere, mala reijcere. Non reijcit autem malum, qui adhuc dubitat, qui probat, qui sententiam suspendit. Non reijcit malum, qui libros damnata dogmata continentes sumit in manus, & legit, & suos facit magistros. Iam nunc igitur patet, quàm pulchrè locus apostolicus qui videbatur aduersus, Catholicam adiuuet sententiam. Si enim omnia probanda sunt, probationis autem finis est rectum iudicium; & recto iudicio acquiescendum est: igitur probatione semel legitimè facta, iam vlterior cesset probatio; & tantum locum habeat veritatis approbatio & falsitatis reprobatio. Tantũ (inquam) bonum retineatur, & malum reijciatur. Legantur libri Catholici, probati; abijciantur libri hæretici, improbati. Siquidem ea demùm ratione præstabitur illud, *Quod bonum est, tenete.* Sed hæc sátis ad apostolicæ sententiæ verum & genuinum, & Catholicæ doctrinæ fauentem, intellectum. Ex quibus etiam Chrysostomi, Theophylacti, & Augustini mentem assequi & perspicere facillimum est. Proinde nunc ad exempla & praxim sanctorum Patrum, proprijs ipsorum testimonijs consignatam, veniamus. Ita enim hæc à nonnullis allegari solent, quasi doctrinæ & legibus Catholicorũ vehementer obsi-

obsistant; cum re penitus introspecta, vix aliud sit quod causam hanc quam agimus, vel magis adiuuet, vel plenius illustret. Neque enim negamus esse quosdam in ecclesia viros, iuxta Apostolum, spirituales & sensum Christi habentes, ac dono discernendorum spirituum præditos, quique pro cōsuetudine sensus habeant exercitatos ad discretionem boni ac mali, ad quos spectet officium omnia probandi, omnia iudicandi, & iuxta Augustinum omnia legendi; quandoquidem probare & iudicare quæ scripta sunt, non possunt, nisi legerint: Non hos, inquam, negamus, sed planè agnoscimus, atque in ecclesia Dei necessarios esse confitemur. Non enim dogmata damnari possunt nisi audita; neque scripta reprobari nisi lecta; neque caueri nisi cognita. Sint igitur oportet qui audiant, qui legant, qui cognoscant, qui probent, qui iudicent. sed ad hæc quis idoneus? Paucissimi profecto. Quare & paucis in ecclesia tale iudicium permittitur, & talis facultas conceditur. Vnde est illa Venerabilis Bedę sententia, quam & aliàs recitauimus, sed merito hîc repetimus, ex commentario eius in Prouerbia Salomonis: Soli ei conceditur hæreticorum libros legere qui adeo solidatus est in fide Catholica, vt verborum dulcedine vel astutia ab ea segregari nequeat. Tales nimirum fuerunt *Dionysius*, Cyrillus, Hieronymus,

 Ambro-

Ambrosius, Augustinus,quorum nobis exempla obijciuntur. Tales & alij Patres, quotquot cum laude manus cum hæreticis conseruerunt. Huiusmodi igitur exempla si ad omnes trahuntur fideles: nihil prorsus agitur,nihilo magis quàm si talibus exemplis ad hoc vtaris, vt omnes Christi fideles facias doctores, & scripturarum interpretes, contra illud
1.Cor. 12. apostoli, *Nunquid omnes doctores? Nunquid omnes interpretantur?* Sed tamen ipsorum Patrum quorum exempla proferuntur, verba paululum expendamus. *Equidem* (ait apud Eusebium Dionysius) *tametsi hæreticorum libros & traditiones perlegebam, & meum ipsius animum ad tempus scelestissimis eorum opinionibus quodammodo inquinare videbar: hoc tamen ab illis capiebam commodi, vt non modò eos interiori animi mei cogitatione condemnarem ac refellerem, sed multo vehementius in posterum detestarer.* In quibus verbis habes & commodum quod sperare queat ex ea lectione perfectus; & periculum, quod metuat imperfectus. Nam si Dionysius, vir doctissimus, sensit animum suum ad tẽpus inquinari quodammodo scelestis hæreticorũ opinionibus: quid sentiet homo indoctus idemq; animalis & carnalis,infirmus & ad lapsum pronus? Quòd autem visio fuerit Dionysio cælitus ostensa; non regulam facit, sed priuilegium arguit, sic enim ei dicitur:
Omnes

Omnes libros quos sumis in manus, euolue sedulò. Nam satis habes virium & firmitatis ad quæque tum conuincenda tum exploranda. Hoc certè paucorum est. Quare & ratio postulat, paucis, imo paucissimis, à sanctissimo Christi vicario, quasi voce cælitus delapsa, potestatem hanc communicari. Sequitur, apud Dionysium; *Visionem, vtpote rite consentientem voci apostolicæ, sic ad potentiores dicenti, Estote spectati atque probati trapezitæ; lubens equidem approbaui.* Hîc rursum disertè significat, hoc explorandi & iudicandi officium ad solos pertinere potentiores. Clarum igitur est Dionysium vehementer pro nobis facere; sed multo id clarius de Cyrillo, cuius exemplum secundo loco fuerat obiectum. Cum enim multa ex Manichæorum placitis ad plebem recitasset absurda atque impia: tandem ait; *Polluimur ista dicentes. Ne autem aliquis eorum qui adsunt ex ignorantia in sordes eiusmodi hæreticorum incidat; etiamsi & os meum, & auditorum aures polluam, tamen ita expedit. Multò enim melius est accusandis & reprehendendis alijs audire absurda; quàm ex inscitia in eadem incidere. Longè melius est vt sordes cognoscas & oderis, quàm ignorans in easdem incidas*, Hæc ille. Quod si, authore Cyrillo, polluitur & loquens & audiens, tametsi cum reprehensione id faciat vterque; quid

quid de eo dicendum erit, qui loquentem audit cum persuasione? vt fit in hæreticorum libris, vbi malum non vituperatur vt caueatur, quod Cyrillus hæc loquens faciebat, sed speciosissimis & verbis & sententijs ornatur, vt persuadeatur? Sed audi adhuc ipsius Cyrilli de seipso confessionem; *Hæc scripta sunt*, inquit, *in Manichæorum libris, hæc nos legimus, non credentes dicentibus. propter vestram enim securitatem* (neophytos alloquitur) *etiam perditionem curiosè scrutabamur: sed Dominus liberabat nos ab eiusmodi errore.* Ecce, Cyrillus necessitate legens Manichæorum libros, periculum tamen aliquod suum agnoscit, & curiositatem accusat. Quia, nimirum vix fieri potest, vt quamuis ex necessitate suscipiatur, à curiositate prorsus libera sit hęretici libri perlectio. Porro quæ Hieronymus de se scribit, nullam habent difficultatem, non enim docet quid passim omnibus facere liceat, sed tantum quid ipse fecerit, tanquam scriba doctus in regno cælorum; Nam & necessitatis meminit, cum de scriptis hæreticorum ait: *Quæ nunc compellor legere, vt sciam quæ vitare debeam, quæ probare.* Si dicis, hanc rationem omnibus esse communem; prorsus negamus; aliter enim doctor ecclesiæ vitanda & probanda cognoscit, nempe libros ipsos legendo; aliter quilibet ex plebe, si videlicet audiat suum pastorem.

Verùm

Verùm est adhuc aliquid in verbis Hierònymi animaduersione dignum. Nam præter apostolicam scripturam dudum à nobis tractatam & explicatam; hęc citat Christi saluatoris verba; *Estote probati nummularij*. Eadem apud Eusebium Græcum refert Dionysius, tametsi interpres paulo aliter verterit. Quæ quidem nusquam extant in tota scriptura Canonica, licet ea vt Christi verba, Hieronymus; & vti apostoli verba, citet Dionysius. Attamen apud alios quoque authores veteres interdum reperiuntur velut apud Clementem, Rom. libro primo constitutionum apostolicarum eo loco vbi de Episcopis agit, quibus dictum esse affirmat, *Iudicium iustum iudicate; estote trapezitæ seu nummularij probati*. Meminerunt item eius sententię Ambrosius in Lucam, Cyrillus Alexandrinus in Esaiam, & Ioannes Damascenus in 4 de fide Orthod. libro. Quanquam vnde illa accepta sint, vtrúmne ex Euágelio Nazaræorum, an verò aliunde, nondum constat. sunt tamen eiusmodi ex quibus non ineptum possit argumentum peti veritatis, quam in præsenti defendimus. Primum, quia quamuis vnius regni omnes homines moneta vti debeant publica & probata; non tamen omnium, sed paucorum est nummos ipsos explorare síntne probati, an adulterini. Deinde, quia sententiã illam Clemens solis episcopis

Vide Marianum in locũ Hier.

copis dictam commemorat. Ac tertiò, quia Dionysius eam ad potentiores dictam esse testatur. Quare etiam de sententia apostoli, quæ prorsus cum ista congruit, & ab Hieronymo ei coniungitur, prorsus erit similiter iudicandum. Quartum exemplum ab Ambrosio petebatur; sed nec eius difficilis est explicatio, maximè si ad fontem recurramus. Nam pro eo quod apud Gratianum legitur, *Legimus aliqua, ne negligamus*; tametsi bonum sensum id quoque habeat, legitur apud Ambrosium multo rectius multóque ad nostrum propositum accommodatius; *Legimus aliqua, ne legantur*. Hoc autem quid aliud est, quàm probatos in ecclesia nummularios, quos ibidem nominat Ambrosius, id est episcopos & doctores legis diuinæ peritos, legere quædam, & legendo improbare atque damnare tanquam noxia; ne deinceps ab alijs legantur, & lecta noxam adferant? Hoc enim significant subsequentia eius verba; *Legimus ne ignorémus; legimus non vt teneamus, sed vt repudiemus*. Quintum & postremum exemplum in Augustino statuebatur: Verùm & id non rectè. Quis enim scriba tam doctus in regno cælorum, vt Augustinus? Quis nummularius tam probatus? Quis tam idoneus ad probanda & iudicanda omnia;

vt eius audito iudicio, quod bonum est teneatur, quod malum, reijciatur? Hoc igitur exemplum tam singulare, si quis ad se trahendum putat; is vel extremam inscitiam, vel insignem suam prodit arrogantiam. Verùm, inquiunt, Augustinus etiam alios ad Ticonij hæretici Donatistæ lectionem adhortatur. Fatemur, sed neque hortatur omnes, neque ad omnia hæreticorum legenda; sed vnius Ticonij; neque omnia quidem illius, sed vnum dumtaxat librum in quo multa vtilia, pauca noxia continebantur; quæ & ipsa monet idem Augustinus diligenter cauenda esse; Hæc enim sunt eius verba: *Quod ideo dicendum putaui, vt liber ipse legatur à studiosis, quia plurimum adiuuat ad scripturas intelligendas; & non de illo speretur tantum, quantum non habet. Cautè sanè legendus, non solum propter quædam in quibus vt homo errauit, sed maximè propter illa quæ sicut Donatista hæreticus, loquitur.* Hæc Augustinus. Igitur ille regularum liber Ticonij in eorum librorum numero reponendus est, qui propter multa quæ continent vtilia, permittuntur lectoribus, dummodo vel annotentur, & præmonstrentur cauenda: vt fit in libris Origenis & Tertulliani, ac nonnullis Cypriani; vel certiori consilio, quæ in talibus libris hæretica vel suspecta loca

repe-

reperiuntur, penitus expungantur, vti faciendum esse in quibusdam huius nostri seculi authoribus sapienter admodum decreuerunt Patres ad librorum prohibitorum indicem conficiendum à Tridentina synodo selecti. Quid igitur est quod quidam suæ curiositati vtilitatem tantopere prætexunt, dicentes in hæreticorum libris plurima contineri vtilia, & ad rectam scripturæ intelligentiam & germanum eius sensum percipiendum, vehementer conducentia; cùm Augustinus vnum Tychonij librum ad scripturas intelligendas plurimum conducibilem, vtpote regulas seu claues quasdam interpretandæ scripturæ necessarias ex professo tradentem, moneat non nisi summa cum cautela legendum esse? Quod si vel maximè tibi vtilitatem aliquam liber hæreticus sit allaturus: ante omnia tamen cauendum erat scandalum, id est periculum tuum. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te*, ait Dominus, *abscinde eum, & proijce abs te. Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum; quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Quin etiam si oculus tuus scandalizat te: erue eum & proijce abs te. bonum est tibi vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Esto igitur, quod dicis; liber aliquis hæreticus instar oculi videre te faciat & intelligere multa in scripturis diuinis;

nimis; at tibi satius est ea omnia ignorare, quàm cum tuo periculo discere. Quanquam, vt plenius tibi respondeamus, profectò nimis bene sentit de aduersarijs, & nimis malè de domesticis, qui existimat ad scripturæ verbique diuini thesaurum peruestigandum, plus adminiculi ex hæreticorum scriptis, quàm catholicorum, consequi se posse; vtcunque illi linguarum, & secularis scientiæ præsidijs instructi, seu potius inflati, ad scripturam interpretandam accesserint. Non enim hæreticorum synagoga, sed Catholicorum ecclesia, pignus à Deo accepit spiritum veritatis, qui cum ea maneat in æternum. Ad quem veritatis spiritũ pertinet inprimis recta interpretatio scripturarum. Quoniam igitur, Auditores, vt finem dicendi faciam, satis ostensum arbitror; primum quidem apostolicam sententiam non fauere, sed aduersari potius ijs qui libros hæreticorum legendos putant; cùm neque iudicio ecclesiæ probantis acquiescant, neque quod bonum est constanter teneant; Cumque facta maiorum à minoribus in exemplũ trahi, contra liquidam & expressam doctrinam illorum, non debeant; Cum denique nihil aut ferè nihil in scriptis hæreticorum reperiatur, quod non purius reperias, & securius legas apud scriptores Catholicos: sanè quisquis sibi suæque saluti prospectum volet, siue doctus ille sit siue

Ioan. 14.

Rom. 12. siue indoctus, ne sit prudens apud semetipsum, neque plus sapere velit quàm oportet, non velum vtilitatis noxiæ curiositati prætendat, atque ita semetipsum fallat; sed quæ dudum approbata sunt, teneat, quæ reprobata, fugiat; quæ semel decreta sunt & iudicata, in dubium reuocare non præsumat; sed obedientem se filium ecclesiæ Catholicæ per omnia præbeat; illudque semper metuat, quòd, Pio 4 summo Pontifice teste, librorum ab hæreticis editorum lectio non modò simpliciores homines corrumpere soleat, verùm etiam sæpe doctos eruditosque in varios errores & à veritate fidei Catholicæ alienas opiniones, inducere.

Habita anno 1589. 27 Septemb.



ORATIO

ORATIO QVINTA.

Contra auaritiam ſcientiæ.



ERITÒ apud omnes malè audiunt, & vulgo execrabiles habentur diuites qui auaritiæ morbo laborant hoc præſertim tempore, quo clamor pauperum longa fame afflictorum, & tantum non pereuntium, non noſtras tantùm aures impleuit qui iam propemodũ ad eorum eiulationes quotidianas obſurduimus; ſed iam in cælum aſcendit, iam nubes penetrauit, iam in aures Domini Sabbaoth introiuit; vltionem haud dubiè reportaturus de nobis, niſi charitatis & miſericordiæ ſinũ erga fratres famelicos & pereuntes largius expandamus. Terribile

eſt

1. Ioan. 3. est quod ait apostolus Ioannes; *Qui habuerit substantiam huius mundi & viderit fratrem suum necesse habere & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* & illud cuiusdam: dist. 86. cap. Pasce. *Pasce fame morientem; si non paueris occidisti.* Maximè verò terribile fulmen illud Dominicum; *Discedite à me maledicti in ignem aeternum; Esuriui* Mat. 25. *enim, & non dedistis mihi mãducare: Sitiui, & non dedistis mihi potũ; hospes erã, & non collegistis me: Nudus, & non operuistis me: Infirmus, & in carcere eram; & non visitastis me.* Copiosum est hoc argumentum, auditores, atque omnino temporis huius: sed fortasse non huius loci. De quo proinde nunc non dicam plura: Cæterùm deprehensum est inter homines & quidem inter doctos, aliud quoddam auaritiæ genus, priore illo longè detestabilius, longéque nocentius: De quo nunc, quia cum doctis mihi sermo est, pro temporis angustia breuiter dicere institui; spero & vtiliter me dicturum, Deo adiuuante. Est hęc auaritia spiritualis, quam auaritiam scientiæ scriptor quidam nominat. Sicut enim auarum vulgo dicimus, qui cum pecuniam, aliaque terrena, atque huic temporali vitę subseruientia bona possideat ijsque abundet, non tamen ea erogat in vsus necessarios, sed inutilem thesaurum sibi colligit, sibique soli reseruat; ita scientiæ auarum rectissimè dixeris eum, qui cum scientiæ donum à Deo acceperit,

non

non tamen erogat illud in vtilitatem proximorum, sed tanquam thesaurum diligenti studio collectum, nemini mortalium vsui futurum auarè sibi retinet. Quod cum in omni scientiæ genere, quæ vtilis esse possit reipublicæ, iustam reprehensionem mereatur; in ea profectò, quæ omnium vtilissima est & maximè necessaria, id est rerum diuinarum scientia, non potest non vehementer culpabile, imo & valde detestandum, haberi. Hoc igitur est, auditores, quod hac oratione mihi tractandum & probandum sumpsi, cumprimis esse detestabile hoc auaritiæ genus, atque adeo detestabilius illa quam vulgus auaritiam vocat & præ cunctis vitijs exosam habere solet. Quo monstrato, diluam & ea quæ à nonnullis in huius criminis excusationem adferuntur. Primum omnium quoniam nihil ad probationem efficacius Dei verbo adferri potest; parabolam euangelicam à Saluatore propositam, audiamus: In qua homo peregrè proficiscens, ita bonorum suorum dispensationem seruis suis partitus est, vt vni quinque talenta, alij duo, alij vnum crederet vnicuique secundum propriam virtutem. Horum duo priores, operando, summam acceptam duplicarunt: Tertius, vnum quod acceperat talentū, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. Venit tempus rationis reddendæ. Illi audiunt

à Do-

à Domino; *Euge serue bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; Intra in gaudium Domini tui.* Hic vero quamuis ei excusationis verba non deessent *Scio quia homo durus es; metis vbi non seminasti; & congregas vbi non sparsisti, & timens abij & abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est:* Audire tamen meruit à iusto iudice; *De ore tuo te iudico serue nequam, serue male & piger. Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam: & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?* Et rursum: *Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta; Omni enim habenti dabitur, & abundabit, Ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Quæ verò sententia in seruum
Mat.25. inutilem? *& inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores; Illic erit fletus & stridor dentium.* Graue profectò iudicium, sed iustissimum, in auaros scientiæ possessores. Quid enim talenti nomine, nisi donum scientiæ à Deo acceptum, & in proximorum vtilitatem erogandum, intelligimus? Talentum illud operando & negotiando duplicat, qui acceptum scientiæ donum bene & fideliter erogat atque dispensat; dispensando, fructum pietatis inter fideles multiplicat, vt eum offerre possit Domino suo, & dicere: Domine quinque talenta vel duo talenta, tradidisti mihi; ecce alia totidem superlucratus sum. Ille verò talentum accep-

acceptum fodit in terram, secundum Matthæum; vel reponit in sudario secundum Lucam; qui laborem fugiens, & inania pericula metuens, vel potius huiusmodi metum simulans, eumque desidiæ suæ prætexens; acceptum scientiæ donum, sine vsu, sine fructu, apud se retinet; ipse interim aut terrenis desiderijs atque occupationibus implicatus. quod significatur defossione talenti in terram; aut certè amore quietis (vt loquuntur) id est, commoditatis vitæ, detentus quod significat talentum sudario inuolutum. Pulchrè hoc ipsum notauit Ecclesiastes, vbi inter alias humanæ vitæ vanitates, & istam breui sententia damnauit. *Stultus*, inquit, *complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore & afflictione animi*: Nempe prætextu quietis, & vitandæ molestiæ, & laboris, & afflictionis animi (quod ea fere coniuncta soleant esse cum dispensatione talenti cælestis in proximos) complicat manus suas, id est ab opere dispensandæ pietatis abstinet, velut sibi viuens, sibique consulens. Quem profectò *stultum* non vocaret sapientissimus scriptor, nisi eum à vera sapientia longè remotum, atque alienum iudicaret. Cap. 4.

Quæret aliquis, an igitur ex præcepto quisque teneatur scientiam quam habet, alijs communi-

municare? Breuiter respondeo, scientiam vtilem & salutarem tenetur quisque proximis eâ carentibus atque indigentibus (si desint alij per quos id rectè fiat) pro opportunitate locorum & temporum & personarum, benignè communicare; ita vt sine graui peccato id prorsus omitti, sine culpa verò negligenter ac parcè fieri, non possit. Si enim non est hoc in precepto sed in cōsilio; aut si eius precepti transgressio siue omissio, non in grauioribus sed leuioribus peccatis habenda est; quid sibi vult illa terribilis Domini increpatio, *Serue male & piger?* Quid illa inutilis serui proiectio in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium? Quin in ipsis Domini verbis vim præcepti agnosce: *Negotiamini*, inquit, *dum venio*. Et rursum: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs*. Verbum, *oportuit*, non libertatem consilij, sed necessitatem præcepti, declarat, & quidem sub ea pœna quam ex Euangelio modò commemorauimus, hoc est, æternæ damnationis. Omitto generalia precepta: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Unicuique Deus mandauit de proximo suo.* Speciale
1. Pet. 4. est illud Petri: *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrate, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Et illud Pauli ad Corinthios: *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur*
1. Cor. 12.
sermo

sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum &c. Ad vtilitatem, inquit, non ad otium. Ad vtilitatem verò, non suam tantùm, sed totius corporis; quemadmodum ex analogia corporis naturalis, & membrorum eius, quam eodem loco subijcit apostolus; euadit perspicuum. Si enim absurdum est in corpore naturali oculum sibi soli videre, non pedibus, non manibus, non reliquo corpori; quanto erit absurdius in corpore Christi quod est ecclesia, cuius omnia membra charitate compaginata esse oportet, si membrum eius aliquod scientiâ illuminatum, qua cæteris rectam viam commonstrare possit, non eam in publicum vsum proferat, sed otiosam atque inertem apud se torpescere sinat? *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Atqui nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Audi Salomonem de communicandâ scientiâ in mysterio differentem: *Deriuentur fontes tui foras; & in plateis aquas tuas diuide.* Et alibi: *Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua. Mane*, id est, in iuuentute; *Vespere*, in senectute. Nec putes inutile futurum, *Quia nescis*, inquit, *quid magis oriatur, hoc aut illud: Et si vtrumque simul, melius erit.* Audi & Ecclesiasticum: *Quod habes in manu, ciba cæteros. Sapientia enim abscondita, & thesaurus inuisus; quæ vtilitas* Eccl. 21.

 in

in vtrisque? Melior est qui abscondit stultitiam suam, quàm qui abscondit sapientiam suam. Quare etiam suo exemplo idem Sapiens ad communicandam sapientiam nos omnes admonet:
Ca. 24. *Videte*, inquit, *quoniam non soli mihi laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatem.* Et alter beneficio Dei de accepta sapientia non ingratus,
Sap. 7. ait; *Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico & honestatem illius non abscondo.* Præclarum certè in vtroque exemplum; quod vtinam imitentur omnes sapientiæ studiosi. Quod si à natura petendum est exemplum; an non Sol, Luna, stellæ, aliáque lucida corpora, lumen suum, pro suo quodque modo, vel in remota vel in proxima quæque diffundunt? Quod si à consuetudine; quis ferat hominem lucernæ suæ lumen, lucernis aliorum communicare nolentem? Omnino enim simile quid habet scientia cum lumine lucernæ. Nam sicut illud communicari potest absque vllo eius detrimento: sic & scientia. Qua in re perspicuum est quanto detestabilior sit auarus scientiæ, quàm auarus pecuniæ. Non enim adeo mirandum, si qui pecunias habet, non eas elargitur in alios; quoniam eas largiri non potest, nisi ipse dominus earum esse disinat. *O angustas inopesq́ue diuitias*, ait in Consolatione philosophica Boëtius, *quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet sine ce-*

verorum paupertate non veniunt. At thesaurus ille sapientiæ & scientiæ, quæ sunt diuitiæ nostræ spirituales, nulla largitione minuitur, nulla profusione exhauritur. Est enim bonum quoddam cæleste ac diuinum. Sicut enim Deus bona sua atque adeo seipsum absque vllo sui detrimento communicat; ita potest & hoc bonum à nobis, absque vlla eius diminutione communicari. Et proinde inexcusabilis est quisquis scientiæ suæ participes alios facere recusat. Dicam aliquid amplius. An non omni execratione dignus videretur, qui frumentum, aut panem, aut pecuniam erogare nollet in pauperes famelicos, quando eius & copiam haberet, & tali largitione non solum minui non posset thesaurus eius, verùm etiam augeretur continuò: contrà verò, asseruatione minueretur; morte possessoris penitus amitteretur? An non eum tanquam humani generis, atque ipsius naturæ hostem, diris omnibus omnes deuouerent? Atqui prorsus eiusmodi est, qui scientiæ thesaurum, cùm habeat penes se, sintque tam multi passim per ciuitates, per vicos, per domos qui densis ignorãtiæ tenebris immersi, doctrina atque institutione indigẽt, multo certè plures quàm videmus hodie panẽ mendicantes passim in plateis; nolit tamen ex eo thesauro quicquam depromere quo alij instituantur ad salutem. Nam scien-

tia, vt quidam ait, distributa recipit incrementum; & auarum dedignatur possessorem. nisi publicetur, elabitur; publicata augetur. Et notũ est illud ex philosophia, Habitus per operationes augeri, radicari, & meliorari; per cessationem animi, labefactari, ac deteriores effici. Post mortem verò thesaurus pecuniæ viuentibus relinqui potest; thesaurus scientiæ non potest. Etenim, quod dici solet, Auarus quod in vita non facit, post mortem facit, ditans amicos aut hæredes; At qui scientiæ tenax, nihil eius dum viueret in commune expendit, relinquere eam post se non potest; moriens totum amittit & sibi & alijs. Vbi rursum meminisse nos conuenit parabolæ euangelicæ, in qua à seruo pigro & inutili ablatum est suum talentum; atque ei datum, qui multiplicata iam talenta receperat. *Tollite* inquit Dominus, *ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta; Omni enim habenti dabitur, & abundabit; Ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Habet enim qui vtitur; non habet autem & videtur habere, qui cum habeat non vtitur. Vnde illud vulgo tritum ex Mimo Publicano, *Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet.* Si enim rectissimè dictum est à Poëta,

Quò mihi diuitias, si non conceditur vti?

Cur non etiam verissimè dicatur; Quò mihi

doctri-

doctrina, si non conceditur vti? Sed hac de re beatum Augustinum, si placet, loquentem audiamus: Ita enim ait l, 1 de doct. Christ. c. 1 *Omnis res qua dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum habetur, quomodo habenda est. Ille autem ait: Qui habet, dabitur ei. Dabit ergo habentibus; id est, cum benignitate vtentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit qua dedit Illi quinque & illi septem erant panes, antequam inciperent dari esurientibus. Quod vbi fieri cœpit; cophinos & sportas, satiatis tot hominum millibus, impleuerunt. Sicut ergo ille panis, dum frangeretur, accreuit; sic ea qua ad hoc opus aggrediendum iam Dominus prabuit, cum dispensari cœperint; eo ipso suggerente, multiplicabuntur, vt in ipso hoc nostro ministerio, non solum nullam patiamur inopiam, sed de mirabili etiam abundantia, gaudeamus.* Hæc ille. Iam si conuertamus oculos ad rem subiectam; quis non videt, quanto sit preciosius, quantóque magis homini necessarium, quod subtrahit is, qui scientiam abscondit, quàm qui pecuniam? vtpote non ad corporis sustentationem sed animæ salutem pertinens. In illo enim diuinæ scientiæ thesauro, latet cibus regius, frumentum electorum, & vinum germinans virgines. Quæ singula explicarem; nisi me instituta breuitas prohiberet. Hæc verò si non proferuntur; non pascitur anima, sed fame verbi Dei deficiens, atque
 exta-

extabescens, emoritur. Si ergo corporis interfectorem meritò dicimus eum, qui proximum inedia morientē, cùm possit, non pascit; iuxta illud, *Si non pauisti, occidisti*: quod excusationis velū obtendet, quo minus interfector animæ iudicetur apud Deum, qui animā proximi sui fame verbi Dei defectā ac pereuntem, pane cęlesti non reficit, non erigit, non confortat, ne in ęternam mortē abstrahatur? Si maledicitur in populis, qui abscondit frumentum tempore
Pro. 11. famis, vt est in Prouerbijs Salomonis: qua maledictione ferietur, qui inter tot millia animarum esurientiū, celat verbum salutis in tēpore necessitatis? Nonne anima plus est quàm esca?
Matth. 6. Non est magnum pascere ventres morituros; sed magnum est pascere animas in ęternum victuras, ait Augustinus. Gregorius verò audet & dicit: *Maius miraculum est verbo consolationis peccatorem conuertere, quàm carnem mortuā suscitare.* Quod autem, etiam extra necessitatem extremam, non absque iniuria proximorum, possit abscondi scientiæ talentū; his verbis testatur Bernardus. *Rem profectò proximi retines, si bonis scientia & eloquentia adornatus, verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili, imo damnabili silentio ligas.* Certè maledictus qui frumenta abscondit in populis. Ac metuendum sanè, ne is qui eiusmodi est, cogatur aliquando propheticum illud exclamare: *Væ mihi quia tacui.* Nam &

apo-

apostolus testatur & dicit: *Væ mihi si non euangelizauero; necessitas enim mihi incumbit.* non propter temporalis subsidij defectum, vt putant quidam; sed propter periculum damnationis æternæ. *Væ vobis*, ait Dominus ad legisperitos, *quia tulistis clauem scientiæ; ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.* Cùm enim portatur clauis scientiæ, & ianua secretorum cælestiũ non aperitur; nec ipse qui clauem portat, intrat, & alios intrare volentes prohibet. Satis pro breuitate temporis ostendimus, auditores, teneri vnumquemque scientiam vtilem & salutarem, cuiusmodi maximè est scientia rerum diuinarum, tanquam donum ad vtilitatem aliorum, & vt alibi loquitur apostolus, *ad ædificationem corporis Christi* sibi à Deo datum, cõmunicare ac dispensare loco & tempore, præsertim si desint alij, per quos rectè id fiat; eòque teneri magis, quo magis ad æternam salutem est necessarium ignorantes ea instrui, & quo maius accipitur detrimentũ, si non fiat. Satis id quoque patuit, quàm damnabile ac detestabile sit hoc spiritualis auaritiæ genus, ideoque doctis omnibus, qui suæ saluti consultum velint, modis omnibus fugiendũ. Hæc autem cùm generaliter dicta sint, de talento scientiæ in proximorum salutem expendendo, quod multis modis etiam extra curam pastoralem fieri potest; quæret aliquis, vtrùm

Luc. 11.

Eph. 4.

eadem

eadem ratio cogat eum, qui doctrina & gratia sermonis sufficienter instructus est, vt verbo Dei pascere possit oues Christi; vel semetipsum ad id muneris offerre, vel à superiore oblatum suscipere? Ad hanc quęstionem, malo sanctorum verbis, quam meis respondere; faciam autem id breuissimè; prolatis trium patrum, Augustini, Prosperi & Gregorij sententijs, vt in ore trium testium stet omne verbum. Augustinus libro 19 de ciuit. ita scribit: *Ocium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit; percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati: Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.* Et epistola 81. *Siquam operam vestram mater Ecclesia desiderauerit; nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, nec vestrum ocium necessitatibus Ecclesiæ præponatis; cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inueniretis.* Prosper lib. 3 de vita contemplatiua, de ijs, qui contemplationis auidi, publicis muneribus se subducunt, disserens; *Videndum est,* inquit, *vtrum iustè faciant illi, qui se remouentes ab occupationibus cunctis, ac studijs spiritualibus vacantes, nihil humanæ societati proficiunt; Et desideria sua commodis omnium præferentes, vtilitatem communem desideratæ vacationis electione contemnunt: Cùm profectò, laborantibus opem ferre nolle,*

nolle, cùm possis; & communi bono posthabito, otiosa quiete frui velle, nihil habeat æquitatis. Cui æquitati qui seruiunt: omnes omnium bono viuunt, ac velut sibi inuicem nati, salutem mutuam tuentur ac diligunt. Ac per hoc, contra iustitiam faciunt hi, qui merito suæ conuersationis vel eruditionis electi, otiosum studium fructuosæ vtilitati regendæ multitudinis anteponunt; & cùm possint laboranti Ecclesiæ subuenire, operosæ administrationis laborem, fruendæ quietis contemplatione refugiunt. Sed quoniam sunt multi, qui se impares tantæ sarcinæ nouerunt; tales iustè se, etiam quæsiti, non offerunt, ne videantur non ecclesiasticos labores velle suscipere, sed honores ambire; cùm dignitas ecclesiastica nec ambienda sit nec vitanda. Qui verò præesse & prodesse populis possunt; si quæsiti non fuerint, iuste seipsos percipiendæ sapientiæ studijs tradunt. Hactenus Prosper. Tertius nunc accedat Gregorius ille magnus, qui in libro curæ pastoralis ita scriptum reliquit: *Sunt nonnulli, qui eximia dona virtutum percipiunt, & pro exercitatione cæterorum magnis muneribus exaltantur. Qui nimirum culmen regiminis, si vocati suscipere renuunt; ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro alijs acceperunt. Cumq́; sua & non aliorum lucra cogitant; ipsis se, quæ priuata habere appetunt, bonis priuant. Hinc itaque ad discipulos veritas dicit, Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Et, Nemo accendit lucernam*

cernam & ponit eam sub modio; sed super candelabrum vt luceat omnibus qui in domo sunt. Hinc Petro ait: Simon Ioannis amas me? Qui cum amare se protinus respondisset; audiuit; Si diligis me, pasce oues meas. Si ergo dilectionis est testimonium cura pastionis; quisquis virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, pastorē summū conuincitur non amare. Et infrà. *Sunt itaque nonnulli, qui magnis, vt diximus, muneribus ditati dum solius contemplationis studijs inardescunt; parere vtilitati proximorum, prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis petunt. De quo si districtè iudicētur, ex tantis procul dubio rei sunt, quantū venientes ad publicum, prodesse potuerunt. Qua enim mente, is qui proximis profuturus enitesceret, vtilitati cæterorum secretum præponit suum? quando ipse summi Patris vnigenitus, vt multis prodesset, de sinu patris egressus est ad publicum nostrum?* Hæc Gregorius: Ex his igitur atque huiusmodi sanctorum Patrum sententijs, primum hoc discimus, Si quis ineptus sit regendæ multitudini quòd vel scientiâ careat, vel alia ratione imparē atque indignū eo munere se norit; offerre se non debet imo nec oblatam curam suscipere. Si verò ad id muneris idoneus iudicetur ab ijs, quorum iudicio meritò debet acquiescere; nisi ipse contrarium certo nouerit, offerre se quidem ad munus pastorale non tenetur

netur, nisi magna proximorũ necessitas id postulet; oblatum verò atque à superiore iniunctum, recusare pertinaciter non licet. Quare non facile admittenda est eorum excusatio, qui quasi ex humilitate, vt onus pastorale subterfugiant, impares se tanto oneri profitentur. De quibus ita scribit Gregorius: *Sunt nonnulli qui ex sola humilitate refugiunt, ne eis quibus impares se existimant praeferantur. Quorum profectò humilitas, si caeteris quoq; virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera est, cum ad respuendum hoc quod vtiliter subire praecipitur, pertinax non est. Neque enim verè humilis est qui superni nutus arbitrio, vt debeat praeesse, intelligit; & tamen praeesse contemnit.* Sic ille. Multa alia, auditores, in hanc quęstionẽ conferri poterant, vt quae iustã, & bene limatam tractationem requirat, & bene tractata vtilitatem non paruam cõtineat; sed ne molesti simus, tandẽ claudenda est oratio. Vtinam verò doctis omnibus eum charitatis affectum inspiret omnium bonorũ author Deus, vt intelligant & rebus ipsis declarent se thesaurum scientiae suae portare atque circumferre non ad fastum & ambitionem, non ad quaestum & auaritiam, non ad curiositatem & vanitatem, non ad contentionem & aemulationem, sed ad honorem & gloriam Dei inprimis, deinde ad suam & proximorum salutem, ac totius ecclesiae aedificationem. Ita namque futurum, vt

Past. p. 1. c. 6.

qui

qui ex timore & amore Dei, non turpis lucri gratia, sed voluntariè verbo salutis pauerunt gregem Dei: cùm apparuerit princeps pastorũ percipiant immarcessibilem gloriæ coronam. Ita futurum aliquando, vt qui docti fuerint, ac doctrinæ suæ talento bene vsi; in illa retributione iustorum fulgeant quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Quod nobis omnibus concedat, qui est in secula benedictus.

Fuit habita anno 1587. 23 April.

Additio Authoris.



REGORIVS lib. pastor. curæ pa. 3. adm. 26 agit prolixè contra eos qui cùm prædicare valeant; nimia & vitiosa humilitate recusant, & citat ad hoc multas scripturas & rationes, Vide

etiam

etiam hom. 17 in euangelia, vbi etiam multa huius argumenti habentur. Locus est insignis apud Augustinum lib.32 contra Faustum ca.10.vbi pulchrè huc adducit quod est Deuter. 25 de eo qui non ædificat domum fratris sui.



ORATIO SEXTA.

Præter vnam Catholicam fidem non esse salutem.



PERSVASVM iam olim quibusdam fuit, auditores, non referre qua opinione quisque de Deo, rebusque diuinis imbutus sit: Posse nimirũ vnumquemq; mortalium Deum sibi promereri in quacunque religione, & in quacunque secta seu hæresi, dummodo piè secundum conscientiam, diuinum numen coleret ac veneraretur. Ad hunc modum sensit & scripsit sancti Ambrosij tempore Symmachus quidam vrbis Romæ præfectus in oratione quam populi Romani nomine

nomine ad Imperatores Christianos Valentinianum & Gratianum pro sacris Deorum restituendis habuit. In ea enim oratione cùm laudasset Constantium Imperatorem, quòd Romanis ceremonijs nil detraxisset; quódque illas, ipse licet aliam religionem secutus, imperio conseruasset, hæc subiunxit verba: *Suus enim cuique mos, suus cuique ritus est. Varios custodes vrbibus, & varios cultus mens diuina distribuit. Vt animæ nascentibus, ita populis natales genij diuiduntur.* Et nonnullis interpositis: *Æquum est, quicquid omnes colunt, vnum putari: Eadem spectamus astra, commune cælum est, idem nos mundus inuoluit; Quid interest qua quisque prudentia verum requirat? Vno itinere non potest perueniri ad tam grande secretum.* Sic ille. Similis fere fuit oratio Themistij philosophi, qui vt Valentis Ariani Imperatoris grauiter Catholicos diuexantis animum leniret atque ab incepto reuocaret, referente Socrate lib. 4 c. 27. & Sozo. lib. 6 cap. 36. admonuit eum, ne qua ipsum caperet admiratio de Christianorum in religionis negotio dissensione. Eam enim perexiguam esse si cum multitudine ac turba opinionum, quę sunt apud gentiles philosophos, comparetur: Deumque velle tam diuersa ac dispari opinionum ratione suam gloriam illustrare, quo singuli eius maiestatem propterea magis reuereantur, quòd non sit cuiquam in prompt-

tu eius accuratè cognoscere. Sed fuerit hæc fortasse gentilium, seu philosophorum, seu quorumlibet stulta persuasio. Non enim diuersarum nationum populi, cùm singuli suos colerent Deos, suumque colendi ritum tenerent, alias nationes damnasse leguntur, quòd vel Deorum diuersitate vel cultus disparitate à se discreparent; quoniam semel admissa religionis diuersitas ac Deorum multitudo, neque forma neque numero terminum recipiebat aut modum: magisque vnaquæque natio sibi videbatur religiosa, si plures ex alijs quoque gentibus sibi Deos aggregaret. Hinc apud Athenienses ara ignoto Deo extructa, cuius, si Beato Hieronymo in epistolā ad Titum commentanti credimus, talis inscriptio erat: *Dijs Asiæ & Europæ & Africæ, dijs ignotis & peregrinis.* Hinc apud Romanos subinde noui Dij in Capitolium ex decreto Senatus cooptati ac prioribus appositi. Quæ illorū superstitio tandem fuit eóusque progressa, vt toto mundo nihil esse Deorum putaretur, quod Roma non coleret. *Hæc ciuitas,* inquit Leo serm. 1 in natalem apostolorum Petri & Pauli, *ignorans suæ prouectionis authorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. In ea namque diligentissima superstitione habebatur collectum, quicquid*

Act. 17.
Cap. 1.

quid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Fuerit igitur hæc gentilium persuasio; quos euangelicæ lucis expertes, nihil est mirum ad omnem erroris vanitatem, credulitatis sinum expandisse. Mirandum verò magis est inter eos qui Christi nomen profitentur, & ad lucem accesserunt euangelicam, hoc seculo non defuisse, qui quod illi de omni religione, hoc ipsi de ea quæ Christum agnoscit, quocunque nomine censeatur, docere & scribere non fuerunt veriti; nimirum omnem hominem cuiuslibet opinionis & sectæ saluatum iri, si a Christo capite peruersa aliqua opinione non recedat; vel certè, si fidei summam teneat, quæ est in apostolico symbolo expressa; neque hostiliter eos insectetur, qui eandem fidei summam tenentes, alijs quibuscunque Christianæ doctrinæ controuersijs ab ipso fortè dissentiunt; neque ab ijs schismate aliquo sese separet, sed cum ijs omnibus, tanquam eiusdem fidei, spei, & charitatis consortibus communionem & societatem retineat. Quam doctrinam primùm ab vno & altero authore profectam & disseminatam, quòd prima facie blanda, grata, iucunda esset, multi auidè hauserunt. Quid enim amore blandius, quid pace gratius, quid salute iucundius? Vnde & amoris seu charitatis nomen hæc secta inuenit; & hoc tam specioso titulo facilè quàm plurimos ad se pellexit.

Quæ si vera esset; cùm ad salutem omnibus ijs qui Christianum nomen profitentur, tam breue faciat compendium; quid caussæ est obsecro, quod tam serò dogma tam necessarium Christianis innotuit? Cur nunc tandem reuelatum est, quod tot retroactis seculis Ecclesiam Christi latuit? Fuit quidem olim Apelles quidã, qui vt ex Rhodone quodã commemorat Eusebius lib. 5 cap. 13, diceret de fide non esse curiosius inquirendum sed vnumquemque in ea fide perstare debere, quam professus fuisset. Eos enim qui in Christum crucifixum spem coniecissent, saluos fore, dummodo in bonis operibus sedulò versati reperirentur. Verùm Apelles ille hæreticus fuit Marcionis sectator; & hanc eius sententiã ne refutatione quidem dignam Patres censuerunt; prȩsertim cùm is solus ac præter eum nemo alius tale quid dixisse legatur. Nisi forte idem cum eo senserunt Rhetoriani, quorum & Philastrius in catalogo hæreseon & post eum Augustinus hæresi 72 meminit, orti à Rhetorio quodam; qui omnes hæreticos rectè ambulare & vera dicere affirmabat. *Quod ita est absurdum*, inquit Augustinus, *vt mihi incredibile videatur eum id affirmasse*. Sed hoc forsitan illa hæresis voluit, quod dixerat Apelles, quodque nostro seculo Cassander docuit; nempe nullam hæresim sic errare vt à salute abducat, quamdiu in Christum

ſtum creditur, vel apoſtolicum ſymbolum tenetur. Præter hos igitur alium huius opinionis aſſertorem hactenus in ſcriptis veterum reperire non licuit. Habet autem religio Mahometana quiddam prorſus ſimile. Namque author & inſtitutor eius Mahometes confirmat omnes recte viuentes atque vnius Dei cultores, ſeu Iudęi ſeu Chriſtiani fuerint, ſeu relicta ſua lege in aliam abiuerint, indubitanter diuinum amorem aſſecuturos. In Iudæos verò & Chriſtianos grauiter inuehitur, quòd omnibus diuerſam à ſe religionem tenentibus, aditum paradiſi præcludant. Nunc mihi conſidera, auditor Chriſtiane, (vt ad confutationem dictæ opinionis deſcendam) quos authores vel illa ipſa, vel quæ illi planè reſpondeat opinio, habuerit iam olim; nempe, primum paganos, deinde hæreticos, denique Mahometanos. Ab horum authoritate ſi fas eſt argumentum ducere; habebunt Caſſandriani, quo ſuam doctrinam probabiliter defendant. Sin verò talium authoritas ſuſpectam potius reddit ſententiam; reijcienda profectò atque explodenda nobis eſt hæc doctrina, vnà cum ſuis authoribus. Cæterùm clarius hoc ipſum euadet, ſi proprijs argumentis rem examinemus. Primùm igitur, nemo dubitauerit fidem Chriſtianam eſſe totius Chriſtianæ religionis, & proinde ſalutis noſtræ fundamentum; quo ſub-

Alco. ca. 1.

lato ipſam quoque religionem corruere & ſalutem excidere ſit neceſſe. Porrò fides non eſt, niſi ſit integra; ſicut & alia quæcunque virtus non ab vno vel altero abiecto contrario virtutis rationem accipit, ſed ita demum, ſi quicquid eſt contrarium abijciatur. Neque enim iuſtum dixeris eum, qui vni & alteri quod ipſorum eſt, tribuit, alios interim debita pecunia defraudans; neque caſtum qui aliena quidem vxore abſtinet, ſed ſcortationibus ſeipſum commaculat: Ita fidem, quæ Theologica virtus eſt, habere non dicitur qui partem eorum quæ credenda ſunt, recipit, partem reijcit. Credenda ſunt autem non ea ſola quæ in ſymbolo apoſtolico ſunt expreſsè poſita, ſed omnia quæcunque verbi Dei ambitu continentur. Eſt autem geminum Dei verbum, alterum ſcriptum, alterum ſine ſcripto traditum. Et, ne de verbo non ſcripto quæſtionem moueamus; quàm multa continentur ſcripturis veteris & noui teſtamenti, quæ non ſunt apoſtolico ſymbolo comprehenſa? Quæ tamen omnia ad verbum Dei quod fide recipiendum eſt, pertinere, nec aduerſarius negauerit. Quid ſi ergo quiſpiam apoſtolico ſymbolo contentus, ſcripturas diuinitus inſpiratas neget? Quid ſi ſaltē de vno aliquo ex quinque Moyſi libris, vel vno ex quatuor euangelijs ita ſentiat, vt non diuino ſed humano ſpiritu putet

eſſe

esse conscriptum? Quid si neget Deum locutum fuisse in patriarchis & prophetis; legem dedisse populo Israelitico; Christum multò antè promisisse venturum Saluatorem ex semine Abrahæ, ex tribu Iuda, ex stirpe Dauid? Nunquid quia nihil horum symbolo continetur idcirco eum qui hæc omnia vel aliquid horum negauerit, retenta interim symboli confessione; aut fidem Christianam habere dicemus, aut cum illa sua qualicunque fide saluum fieri posse putabimus? Absit à mente Christiana rem adeo absurdam cogitare. Sed plenius adhuc, si placet, absurditatem illius sententiæ consideremus. Quæro, vtrùm innumerabiles hæreticorum sectæ quæ iam inde ab initio extiterunt, iure ac meritò damnatæ fuerint vnà cum suis dogmatibus, ab ecclesia Christi? Quod si de recentioribus tergiuersatur fortassis aduersarius, ne causam suam manifestè deserere videatur; at certè de antiquioribus, quin ita se res habeat, negare non audebit, ne veteris quoque ecclesiæ iudicium omne contemnere videri velit. Atqui inter tam multas hæreses, vix paucas inuenies, quæ symbolo apostolico disertè & expressè contradicant. Nam Simone, Marcione, Manichæo & alijs nonnullis exceptis, reliqui omnes eiusmodi sunt, vt suas hæreses nihil cum symbolo apostolico pugnare existiment; quod proinde & ipsi non

grauatè recipiunt, & suis etiam sectatoribus tenendum praescribunt; tantum abest vt illi disertè & expresse vel in parte contradicant. Exemplis rem declaremus. Nouatus eos qui in persecutione lapsi essent ad communionem per sacramentum poenitentiae recipi nolebat; sed tamen spem remissionis peccatorum coram Deo, poenitentibus non auferebat. Relinqui enim eos volebat misericordiae Dei. Non ergo expressè pugnabat contra illud symboli, *Remissionem peccatorum.* Idem damnabat secundas nuptias: sed eas nusquam asserit symbolum. Origenes sempiternas fore negat poenas impiorū: In symbolo *vitam aeternam* lego, mortem aeternam non lego. Sabellius non agnoscit tres distinctas in deitate personas; patrē tamen & filium, & spiritum sanctū cum symbolo profitetur. Photinus Christū dixit non semper fuisse, sed ex virgine initium cepisse: Non tamen Christum filium Dei negat, quod affirmat symbolum. Arius negat filium patri consubstantialem: Neque hoc asserit symbolum apostolicū. Macedonius Spiritum sanctum creaturis annumerat: Neque huic quidem symbolum expresse repugnat. Apollinaris Christum dixit carnem sine anima suscepisse: Non legis in symbolo Christū suscepisse carnem animatam. Nestorius diuidebat in Christo personas, Eutyches naturas confundebat: Symbolum nec per-

personam nominat, nec naturam. Aërius non ex ecclesiæ præscripto, sed pro voluntate ieiunandum esse dicebat: Quid est in symbolo quod huic doctrinæ liquidò repugnet? Idem orationes & oblationes pro mortuis contemnebat: Sed nec eas expressè commendatas in symbolo reperies. Iouinianus omnia peccata dixit paria, & coniugiũ virginitati adæquauit: Horum imparitatẽ non astruit symbolũ. Heluidius perpetuæ virginitati matris Dei contradicit: Symbolum virginẽ pronunciat, de perpetuitate tacet. Pelagius peccatũ originale negat, docetq; posse hominẽ solo libero arbitrio, sine auxilio gratiæ Dei implere eius mandata: Huic nihil contrarium audis in symbolo. Aliorum hæreticorum infinitam turbam prætereo. De his quæro quos iam enumeraui, num eos talia sentiẽtes & talia dogmatizantes rectè dãnauerit ecclesia Christi, iã ante mille annos. Certè negare non potes, si priscæ saltem illi ecclesiæ suam dignitatem & authoritatẽ tueri voles. Quare manifestè consequens est illorum dogmata, quamuis symbolo apostolico expressè non repugnent, fidei tamen Christianæ repugnare, & nequaquam cum eius integritate consistere; & proinde omnes eos qui talia vel docent vel sentiunt, tanquam fundamento sublato salutem consequi non posse. Et quidem ipsæ ecclesiæ sententiæ, quibus errores huius-

huiusmodi cum suis authoribus & assertoribus percellit, id satis declarant. Omnibus enim anathematis pœnam annectit, eandem videlicet quam denunciat apostolus ijs qui Christum non amant; *Si quis*, inquit, *non amat Dominum nostrum Iesum Christum; sit anathema.* Sic in suis decretis ecclesia; *Si quis hoc aut illud dixerit, aut hoc illúdue negauerit: anathema sit.* Neque id solum, sed insuper eos hæreticos pronunciat, & ab eorum cõmunione prorsus abstinendum præcipit, & suam illis communionem negat; vt qui nec fidei nec charitatis vinculo cum veris ecclesiæ filijs colligari possint. Neque verò vnquam aliter de ijs quorum dogmata damnauit, sensit eccclesia, quàm eos, dum in errore persistunt, etiamsi symbolum apostolicum recipiant, & diuersa sentientes non insectentur hostiliter, ad æternam salutem pertingere non posse; sed partem habituros cum diabolo & angelis eius. Quàm multa sunt in Athanasij symbolo (quod tota ecclesia vsu & authoritate sua confirmauit) quæ non sunt expressa in symbolo apostolico? At illius hoc principium est: *Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus vt teneat Catholicam fidem; quam, nisi quisque integram, inuiolatámque seruauerit, absque dubio in æternum peribit.* Quæ sit autem illa Catholica fides, verba sequentia docent, in quibus, vt dixi, multa sunt, quæ symbolum

1. Cor. 15.

bolum apoſtolicum non habet. Ac rurſus in medio: *Qui vult ergo ſaluus eſſe ita de Trinitate ſentiat.* Denique concluditur his verbis: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmitérque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.* Quod in eo ſymbolo tam diſertis verbis expreſſum eſt, id in omnibus eccleſiæ decretis quibus aliquid fidei eſſe declarat, ſimiliter eſt intelligendum; nempe ſaluos eſſe non poſſe, ſed abſque dubio in æternum perituros, qui definitam ſemel ab eccleſia fidem ſuſcipere recuſant; dum tamen eccleſiæ ſententia ſufficienter ijs fuerit manifeſtata. Quod quidem hodie de præcipuis qui controuertuntur articulis, latere non poteſt. Quę cùm ita ſint: fugienda prorſus eſt iſta perſuaſio, tanquam ſalutis ęternę naufragium, & certa ad interitũ via; videlicet vnumquemq; hominem Chriſto aſſcriptum, quamcunque teneat ſectam, in ſua fide ſaluari poſſe, dummodo ſumma religionis capita quæ ſunt in apoſtolico ſymbolo expreſſa, recipiat; & neminem eiuſdem ſymboli participem à ſocietate ſua ſeu communione hoſtiliter repellat. Quondã inter Catholicos & Donatiſtas, beati Auguſtini tempore, longè minor erat diſcrepantia doctrinæ, quàm ſit hodie inter Catholicos & diuerſarum opinionum ſectarios. Nam præter quæſtionem generalem de eccleſia, quam de toto terrarum orbe perijſſe atque

apud

apud se solos in Africa remansisse, iactabant Donatistæ; & alteram de baptismo extra ecclesiam accepto, quem ratum esse ijdem Donatistæ negabant (nihil profectò, hac quidem parte, aduersus expressa symboli verba docentes; quandoquidem nec baptismi, nec cuiusquam alterius sacramenti symbolum omnino meminit): nulla, aut certè permodica fuit inter eos dogmatum diuersitas. Vnde ex vulgo Donatistarum quidam, imo permulti, putabant nihil ad salutem interesse, vtrùm inter suos an apud eos qui Catholici vocabantur, Christi fidem tenerent. De quibus Augustinus in epistola 48 ad Vincentium Donatistam; *Quàm multi*, inquit, *nihil interesse credentes, in qua quisque parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant; & eos inde discedere, atque ad Catholicam transire nemo cogebat?* Et postea, de ijsdem conuersis & ad Catholicam reuersis, *Dicant*, inquit, *Putabamus quidem nihil interesse, vbi fidem Christi teneremus; Sed gratias Domino, qui nos à diuisione collegit, & hoc vni Deo cõgruere vt in vnitate colatur, ostendit.*

Sed dicet mihi aliquis, Donatistas manifestè impegisse in eum symboli articulum, quo credere nos profitemur sanctam ecclesiam Catholicam, vt qui in vnum Africæ angulum eam, quam Catholicam, id est, vniuersalem ac toto orbe diffusam confiteri oportebat, prauo

ſuo dogmate redegiſſent atque coarctaſſent. Ita ſanè res habet; ſed id iam omnibus ſectis eſt commune. Quæ enim hęreſis non ſibi vendicat nomen eccleſię, atque idem illud nomen, quantum in ipſa eſt, de toto terrarum orbe abradit? Lutherani, Caluiniani, Mennoniſtæ, & alij quocunque nomine cenſeantur, nónne ad ſe ſinguli veram Chriſti eccleſiam pertrahere conantur? cùm tamen non in toto terrarum orbe, ſed in parte ſint; ſicut olim Donatiſtæ. Verùm ſicut, verbi gratia, Caluiniſta quiſpiam apoſtolicum ſymbolum confidenter ac pleno ore recitat, nihil offenſus nomine *Catholicæ*; quia eam vocem in diuerſum, ac ſuæ ſectæ commodum, ſenſum interpretatur: ita quondam Donatiſta. Neque enim & ille eccleſiam negabat Catholicam, aut vocem illam de ſymbolo detruncabat, ſed in promptu habebat quid per illam intelligeret, quod ſuæ ſectę non putaret contrarium. Nec mirum, quando, vt ait Auguſtinus lib. de vtilitate cred. ca. 7. *Omnes hæretici Catholici volunt videri.*

Quod ſi mihi reſpondeas, falſas ac peruerſas eſſe huiuſmodi interpretationes; ideóque etſi verba ſymboli teneant ſectæ, rem tamen ipſam non tenere: planè conſentio. Cùm enim variè circa diuerſas ſymboli partes ab omnibus ferè ſectis erretur, ſi particulatim illarum ſenſus excutiatur; ideóque perſæpe quod in vni-

vniuersali nouerunt, in particulari nesciant: nusquam tamen ab illis erratur grauius, quàm vbi ad hunc venitur articulum. *Sanctam ecclesiam Catholicam.* Nam generalibus quidem verbis eam vtcunque confitentur & credunt; sed in particulari eandem ignorant, & proinde nec credunt. Quomodo Iudæus Messiam credit in genere; quem in particulari negat. Neque enim minus est ad integritatẽ fidei necessarium, credere, hanc cui Romanus Pontifex Petri successor Sixtus quintus hodie præsidet, esse veram Christi ecclesiam, in quam competant omnes diuinæ promissiones & propheticæ prædictiones de ecclesia factæ; quàm sit necessarium credere, hunc Iesum Nazarenum Mariæ filium, à Iudæis crucifixum, esse verum Christum Saluatorem, in quem competant omnes diuinæ promissiones & propheticæ prædictiones de Christo factæ. Quocirca sancti Patres affirmare non dubitant, hæreticos neque cognoscere neque credere ecclesiam Christi. Sic enim scribit Cyprianus in epistola ad Maximum: *Non est vna nobis & schismaticis symboli lex, neque eadem in Baptismo interrogatio. Nam cùm dicunt, Credis remissionem peccatorum & vitam æternã per sanctam ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, cùm non habeant ecclesiã.* Sic & Hieronymus in dialogo quem contra Lucif. edidit; *Cùm solemne sit,* inquit, *in lauacro post trinita-*

nitatis confessionem interrogare, Credis in sanctā ecclesiam? In quam credidit Arianus? In Arianorū? sed non habent. In nostram? sed extra hanc baptizatus, non potuit in eam credere quam nesciuit. Augustinus tum in libro de vnitate ecclesiæ cap. 4. tum in libro 2 contra Cresconium, cap. 8, intrepidè pronunciat, eos qui de capite Christo scripturis sanctis consentiunt, & vnitati ecclesiæ non communicant; de Christi corpore quod est ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentire, eamque proinde nec nouisse nec credere. Verba eius breuitatis causa omisitam. Vt igitur tandem ad caput nostra redeat oratio, planè perspicuum ex ijs quæ diximus euadit, sectas ab ecclesia Christi Catholica diuisas ac dissentientes, etsi traditum ab apostolis fidei symbolum aliquo pacto teneant, fidei tamen integritatem (quæ nisi sit integra, fides non est) haudquaquam tenere. Primùm, quia vera & integra fides verbum Dei recipit absq; omni exceptione: constat autem & omnes consentiunt, verbum Dei non vnius apostolici symboli angustijs concludi. Deinde quia nec ipsum quidem symbolum, quomodo oportet, recipiunt, dum à vero & genuino eius intellectu quàm longissimè recedunt; quandoquidem, vt alias symboli partes prætercam, sic ignorant veram Christi ecclesiam; aliam non veram eius loco, falsa sua imagina-

tione,

tione, substituentes; quemadmodum Iudæi verum Christum nesciunt, eiusque loco alium, qui nec est, nec erit vnquam, vana persuasione sibi fingunt & promittunt. Vnicum verbum addo; Quòd si etiam omnes sectæ fidei summam tenerent, quæ ad salutem sufficeret, nihilo magis tamen cum ea saluari posse, quàm malos Christianos, quos integram fidem tenere non dubitamus. Sicut enim istis deest recta vitæ conuersatio, sine qua non est salus; ita illis deest ecclesiæ communio, extra quam non est salus; cùm, attestante beatissimo Cypriano, *Nemo possit habere Deum patrem, qui non habuerit ecclesiam matrem.* Sed ea res aliam postulat orationem.

Anno 1587. 22 Septembris.

Additio Authoris.



CONSTANTINVS quidem Imperator in epistola quam scripsit ad Alexandrum episcopum Alexandrinum & Arium presbyterum, vt eos ridigeret ad concordiam, dicit non referre ad fidem & salutem, vtrum teneatur de quæstione inter illos suscitata. Sed hoc scripsit per imperitiam; vt pote vix adhuc bene Christianus; & forte illa epistola composita fuit ab aliquo aulico, fauente plus satis partibus Arij, quales tum non pauci in aula regia versabantur.

ORATIO

ORATIO SEPTIMA.

De gratijs Deo agendis.



VI vitam suam ciuiliter & ad humanam conuersationẽ accommodatè instituere volunt, auditores, inter ea vicia quibus hominum animos offendi ac societatem lædi nouerunt; vnum hoc vel maximè cauendum sibi proponunt, ne notam incurrant ingratitudinis apud eos quibus probitatem suam commendari cupiunt; satiusque ducant nihil beneficiorum ab alijs accipere, quàm pro ijs acceptis ingratos videri. Nec sanè immeritò. Sciunt enim inter homines, homine ingrato nihil haberi detestabilius; in quem illud iam olim vulgo iactari soli-

tum; *Ingratum dixeris, omnia dixeris.* Neque id sine ratione. Nam beneficentia bonorum omnium fons est, & origo: Nihil autē beneficentiç tam cōtrarium est, quàm beneficiū, si acceperis, nolle agnoscere, nolle laudare, nolle gratiam referre; quæ sunt tres ingratitudinis partes ac veluti gradus, ijs è directo oppositi, quos perfecta gratitudo requirit. Quātum est igitur ingratitudinis crimē quod fontē obstruit omnium bonorū? Certè apostolus ad Timotheum scribens, ingratū scelestis, vel quod vox Græca magis sonat, impijs, anumerat. Et si Senecæ credimus: *Nihil æque concordiam humani generis dissociat ac distrahit, quàm hoc vicium.* Quòd si tam diuina quàm humana authoritas ingratitudinem qua homo peccat in hominem, tam graui exaggeratione cōdemnat: quid de ea dicemus quæ in deum committitur? Vtique dicere non dubitabimus eam tanto grauiorē esse quanto maior est Deus homine; quantoque maiora à Deo beneficia quā ab hominibus nos accepisse, certò credere debemus. Vitandū igitur hoc malum omnibus nobis, tanto diligentius, quanto malum ipsum deterius, magisque Deo exosum. Nihil enim ita displicet Deo, quemadmodum ingratitudo in Deum, Bernardo teste super Cantica. Cæterùm vitare atque effugere hoc malum omnino non possumus, nisi beneficiorum Dei iugem & perennem

[Margin notes: 2 Tim. 3. — Libro de benef.]

nem in animis nostris memoriam retineamus, dicamusque cum Psalmista: *Benedic anima mea Domino & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Ps. 102.
Verùm nec hoc ita vt oportet, præstare possumus, nisi ea ipsa beneficia, quænam sint, cognita habeamus, & vt apostolus ait, *Sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Erit igitur hic sermo noster de gratiarũ actione, non quacunque, sed ea quam omnes deo debemus: In quo docere statui, ipso donante & adiuuante deo, quæ sint ea bona, de quibus, & pro quibus vnumquemque Christianum Deo gratias agere oporteat. Ac ne longius excurrat oratio; tantùm ea proferemus ex scriptura & traditione, quę vel apertã vel tacitam gratitudinis aut gratiarum actionis mentionem contineant. Bona quidem ac beneficia quibus nos diuina bonitas afficit, in multiplici sunt genere. Sunt enim alia extra hominem posita, alia in corpore, alia in animo: & horum alia naturæ contemperata sunt, alia naturæ terminos excedunt. Rursum, in ipso homine sunt ista, esse, posse, viuere, agere, moueri, sentire, intelligere, velle, operari. At quamuis hæc omnia, quia dei beneficia sunt, gratum postulant animum (*Ipse enim fecit nos & non ipsi nos; In quo viuimus mouemur & sumus; Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, Ipsi gloria in secula*): propriè tamen de ijs bonis nunc dicendum, quibus ipsi boni sumus, & 1. Cor. 2. Psa. 99. Act. 17. Rom. 11.

per quæ authori nostro Deo propinquamus. Nã quod ad externa & corporis attinet bona, etiam homines à vera religione alieni non ignorarunt hæc à Deo petenda, & pro his gratias D o agendas; sed ijdem, magno errore, bona animi sibi à seipsis, non à Deo esse, & crediderunt & scripserunt. Isocrates orator & philosophus, in Paræneſi ad Demonicum, *Existima*, inquit, *rem optimam quæ à Deo datur, esse bonam fortunam; quæ verò à nobis, bonum consilium*. Tullius, etiam ipse orator & philosophus, libro 3 de natura Deorum ita scriptum reliquit: *Virtutem nemo vnquam acceptam Deo retulit*; Nimirum rectè. *Propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur; quod non contingeret, si donum à Deo, non à nobis haberemus.* & paulo pòst; *Num quis quòd bonus vir esset, gratias Dijs egit vnquam? At quòd diues, quòd honoratus, quòd incolumis: Iouemq́; Opt. Max. ob eam rem apellant; non quòd nos iustos, temperantes, sapientes efficiat, sed quòd saluos, incolumes, opulentos, copiosos.* Et iterum; *Iudicium hoc est omnium mortalium, fortunam à Deo petendam, à seipso sumendam esse sapientiam.* Hæc ille. Nec melior Horatij, quamuis moralis poëtæ, sententia. Sic enim canit:

Sed satis est orare Iouem, qui donat & aufert;
Det vitam, det opes: æquũ mî animum ipse parabo.

Rectius profectò his omnibus Iuuenalis,

Socratico, imò diuino ea in parte lumine illustratus;

Orandum est vt sit mens sana in corpore sano.
Si orádum; igitur & pro accepto munere grates agendæ. Quod qui ignorant; illorum numero procul dubio sunt adiungendi, qui sicut ait apostolus ad Romanos, *cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: Dicentes enim se esse sapientes,* idest, sibi non Deo quod sapiebant, tribuentes, *stulti facti sunt.* Accidit hoc idem Pelagianis; quorũ illa vox ab Augustino commemoratur serm. 36 de verbis Domini, *Deus me fecit hominem: ego me facio iustum.* Sic igitur illi, partim ethnici, partim hæretici, pariter aduersus Deum ingrati. At verò longè aliter sapit schola Christiana, multò aliter filios suos instituit ecclesia. Scimus enim, & credimus qui in ecclesia bene instituti sumus, non tantùm externa, & corporis bona, quæ magni philosophi ne in bonis quidem numerãda esse duxerunt, sed etiam, & quàm maximè bona animi, quæcunque & qualiacunque demum sint, potentias, inclinationes, virtutes, scientias, cogitationes, desideria, consilia, consensus, electiones, acceptationes, actiones & opera, cuncta hæc diuinæ largitatis esse beneficia; nec cuiquam horum quicquam con-

Rom. 1.

tingere posse nisi Deus dederit: ac proinde pro his omnibus, omnium authori & largitori Deo gratias humiliter & veraciter esse agendas; vt per humilem & veram gratiarum actionem omnia hæc ad fontem suum recurrant, vnde emanarũt. Hoc quidem omnis scriptura nos docet, vbicunque vel omnium bonorũ Deum authorem prædicat, vel omne bonum in nobis Deum operari testatur, vel speciatim singula bona, vsque ad ipsam boni cogitationem, ipsumque credendi initium, gratiæ diuinæ deputat: Sed, pro nostro instituto, quod est de gratiarum actione dicere; duntaxat ea depromemus exempla & testimonia, quæ cum laude, benedictione, confessione, gratiarum actione, Deo referunt atque transcribunt ea peculariter bona, quibus homines sunt boni. Paulus apostolus vas electionis & gratiæ Dei prædicator eximius, per omnes penè epistolas, nunc pro fide, nunc pro dilectione, nunc pro fidei ac dilectionis incremento atque profectu, nunc pro constantia & perseuerantia, nunc pro malorum tolerantia, nunc pro alijs atque alijs virtutibus ac virtutum actionibus, eorum ad quos scribit; gratias agit Deo. Rom. 1. *Gratias, inquit, ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo,* Id est, gratias ago pro fide vestra, quæ tanta est, vt fama eius vniuersum mun-

mundum peruagetur. & cap. 6. *Gratias Deo, quòd obedistis ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis.* Primæ Corinth. 1. *Gratias ago deo meo semper pro vobis, quòd in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia; ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.* Et cap. 15, *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* 2 Corinth. 2, *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu.* Et cap. 9 agens de pauperum subuentione, eamque Corinthijs diligenter commendans; vt intelligerent authorem huius boni operis, fructum eius præcipuum ponit in gratiarum actione & glorificatione Dei; *Quoniam*, inquit, *ministerium huius officij, non solùm supplet ea quæ desunt sanctis; sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino; per probationem ministerij huius; glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ in euangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos &c.* ac demum hoc epiphonemate cõcludit: *Gratias Deo super inenarrabili dono eius.* Ephes. 1, *Audiens fidem vestram & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis.* Phil. 1, *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper, in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis; super communicatione vestra in euangelio Christi à prima die vsque nunc.* Denique, ne multa commemorando tædium faciam, simili exordio gratiarum actionis, cæ-

Rom. 6.

2. Corint. 9.

teræ currunt epistolæ; vt in omnibus, stylum, & (vt ita dicam) genium agnoscas apostolicum, imò calamum Spiritus sancti per apostolum scribentis. Duas interim sententias ex eodem apostolo, quia generales sunt & rem vniuersam, de qua agimus, complectuntur, non possum quin adijciam. Scribés enim ad Eph. 5, *Gratias*, inquit, *agite semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri.* Ná quod ait, *pro omnibus*, non tá personas vult intelligi (*Non enim omniũ est fides*, vt pro omnibus agendæ sint gratiæ) quàm res ipsas, id est, bona quæcunque & cuiuscunque generis atque ordinis, quæ se habere intelligerent. Quod manifestius altera sententia declarat 1. Thess. 5, *In omnibus gratias agite.* Qui enim dicit, *In omnibus*, de rebus se loqui significat, vtique bonis; & de his nihil excipi permittit. A Paulo apostolo ad Dauidẽ transeo, vt quàm vtriusque testamenti paginæ de plena & perfecta omnium bonorum laude in Deum conferenda, sibi consentiant; horum concordi authoritate doceamur. Dauid oblatis à populo in ædificium templi donarijs, cùm vidisset, quòd corde toto offerebant ea Domino, vt habet historia 1 Paral. 29; *Lætatus est gaudio magno.* Et, sicut diximus Paulum intellecta bona ac propensa voluntate Corinthiorum ad subueniendum egenis fratribus, gratias egisse Deo super inenarrabili dono

eius; sic & ipse pro tam bona voluntate populi sui alacriter & promptè conferentis in opus templi, Domino benedixit, his verbis; *Benedictus es Domine Deus Israël patris nostri, ab æterno in æternũ. Tua est, Domine, magnificentia & potẽtia, & gloria atque victoria; & tibi laus: Cuncta enim quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt.* Et infrà; *Nunc igitur Deus noster cõfitemur tibi & laudamus nomẽ tuum inclytũ. Quis ego & quis populus meus, vt possimus hæc tibi vniuersa promittere? Tua sunt omnia; & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. &c.* Dices mihi fortè, Dauidem hæc dicere de donarijs in ædificationem templi oblatis; hæc quippe neminem offerre Deo potuisse, qui non de manu eius illa prius acceperit. Fateor id quidem; sed non solum. Nam benedixit & gratias egit Deo, non tam de rebus oblatis quàm de ipsa oblatione, id est prompta ac deuota offerendi voluntate; Benedixit, inquam, & gratias egit Deo pro bono, pro quo lætatus erat gaudio magno: hoc autem bonum erat, quod viderat, quòd corde toto offerebat populus Domino: hoc nimirum erat quod virum sanctum lætificabat, hoc eum ad gratiarum actionem incitabat. Hoc igitur & in illis verbis rectè intelligitur; *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quasi dicat, Nihil dare, nihil offerre tibi possumus, quod nõ de manu tua prius acceperimus. Da- 1. Par. 29.

mus

mus & offerimus tibi munera hæc corporalia, aurum, argentum, æs, ferrum, lapides; sed hęc de manu tua prius accepimus, quia tua sunt omnia. Damus & offerimus bonã voluntatem ac promptam animi deuotionem: sed & hæc quomodo dare & offerre possemus, si non ea tu priús dedisses? Tua enim sunt omnia, nec minús hæc quàm illa. Tibi enim competit omnium rerum, sicut perfectum dominium, sic perfecta causalitas. Et vt intelligamus pro bona voluntate populi, Dauidem benedixisse Deum; attendamus ad verba sequentia, quibus idem vir Dei, Deum orat vt donum illud, pro quo iam gratias egerat, cõseruet ac perpetuum

1. Par. 29. esse iubeat: *Domine Deus*, inquit, *custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum; & semper in venerationem tui mens ista permaneat.* Pro hac igitur voluntate cordis, ac deuotione mentis, quam hîc petit custodiri; verbis superioribus gratias egerat. Nec profecto sibi dissimilis esse potuit vir sanctus, cuius totum ferè psalterium in Dei laude, & gratiarum actione consumitur. Ibi legis, *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Dixi, Nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelsi.* Et alia huiusmodi multa. Sed quid ego his immoror, quando etiam de cælo perfectæ

grati-

gratitudinis & gratiarum actionis exempla, quæ imitari delectet, adducere possumus? Sunt illic spiritus iustorum, sunt angeli sancti, & ipse Christus Dominus absolutum omnis virtutis exemplar. De spiritibus iustorum sic Ioannes in Apo. c. 4. *Cum darent*, inquit, *illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in secula seculorum; procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum; & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes, Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Vbi per *vigintiquatuor seniores*, vniuersa multitudo sanctorum intelligitur; qui coronas suas ante thronum Dei mittere dicuntur, ait Gregorius lib. 22 mor. ca. 5, *quia certaminum suorum victorias non sibi tribuunt sed authori, vt ad illum referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires accepisse certaminis.* Vnde Prosper in expos. postremi psalmi, *Mirabilis*, inquit, *Deus in sanctis suis; vt quicquid in illis virtutum atque meritorum est, totum ad Dei gloriam referatur.* De angelis verò nihil diuersi sentire debemus. Nam etsi non per Christum, *qui propter nos homines & propter nostrã salutem descendit de cælis*; à Deo tamen totum se accepisse sciunt, quod habent; naturam, gratiam, victoriam contra draconem & angelos eius; vt omnis gloria sit solius Dei, & nec homo

nec

nec angelus glorietur nisi in Domino. Hinc primum canticum angelorum in scripturis, *Gloria in excelsis Deo.* Hinc omnium angelorum & vigintiquatuor seniorum, id est, omnium spirituum iustorum, procidentium in conspectu throni in facies suas, adorantium Deum vna & communis est laudatio, & confessio, dicentium, *Benedictio & gloria & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.* Apoc. 7. Verùm in Christo Domino, qui laus est hominum & angelorum perfectam in Deum gratitudinem longè iucundiùs speculamur. Quantum ille in omnibus suis operibus, etiam vt ab humana ipsius voluntate profectis, glorificauerit Patrem, nec vllâ prorsus in re propriam quæsiuerit gloriam; nimirum sciens & confitens cum perfecta gratiarum actione, omnia sua opera sibi data esse à Patre, nec quicquam se habere à seipso: ipsius in euangelio verbis docemur, Ioannis 5, *Non possum ego à meipso facere quicquam.* Et paulo pòst, *Opera quæ dedit Pater vt perficiam ea, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Et cap. 7, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Et cap. 8, *A meipso facio nihil; sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Et infrà; *Si ego glorifico meipsum; gloria mea nihil est.* Et cap. 14. *Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor, sed Pater in me manens ipse facit opera.*

Idem in psalmo 3 sic patrem suum alloquitur, *Tu es susceptor meus, & gloria mea. Gloriam suam*, ait Augustinus illum locum exponens, *Deum dicit etiam ille, quem sic suscepit Dei verbum, vt simul cum eo Deus fieret. Discant superbi, qui non libenter audiunt cum eis dicitur, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti; quid gloriaris quasi non acceperis?* Sic Augustinus. Quid autem discant superbi? nisi in Deo, & non in seipsis, gloriari; Deo in omnibus gratias agere, & nihil sibi asscribere. Si enim ille homo qui solus sine peccato apparuit, nihil habuit suum, sed ipsam etiam bonam voluntatem qua pro genere humano pati ac mori vellet, datam accepit à Deo (quemadmodum docet sanctus Thomas) ideoque Deum gloriam suam vocat, & de omnibus gratias agit: quid est quod sibi reseruet ac vendicet homo peccator, in quo tanquam suo glorietur, & de quo, quasi non accepto, non existimet Deo gratiam se debere? Præclarè Cyprianus lib. 3 ad Quirinum: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quod dictum sancti martyris adeo placuit Augustino, vt illud, tanquam inuictum testimonium, in scriptis suis non vno loco Pelagianis opponendum putauerit. Vt autem ad id redeam quod initio dixi, quemadmodum ecclesia Christi filios suos de gratiarum actione in omnibus Deo reddenda, semper instituerit,

3.q.47. ar.3. & in 3. d. 20.q.5.

tuerit,

tuerit; illud profectò constat in moribus ecclesiæ iam olim atque ab initio positum esse, vt ad omnem bonum rumorem, quo vel propagatio fidei vel conuersio peccatorum, vel credentium profectus, vel quodcunq; bonum opus nunciaretur; fideles, nihil dubitantes quin hoc totum à Deo authore profectum esset, gratias ei agerent, dicentes, Benedictus Deus; aut, Deo gratias, aut aliquid simile. Qui mos haud dubiè ab apostolis manauit. Exemplum habemus in conuersione Pauli apostoli, de qua ipse ad Galatas 1. loquens de ecclesijs Iudææ; *Tantùm*, inquit, *auditum habebant*, id est, famâ cognouerant, *quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem quam aliquando expugnabat; & in me clarificabāt Deum.* Cùm idem Paulus Act. 21 apud Iacobum apostolum & seniores narrasset fidem & conuersionem gentium per ministerium ipsius; *illi cùm audissent*, ait scriptura, *magnificabant Deum.* Huc pertinet quod idem apostolus, in exordijs singularum epistolarum, gratias Deo agit pro ijs bonis quæ de illis ad quos scribit, auditu acceperat. Factitarunt hoc idem apostolici viri. Gregorius Thaumaturgus Neocæsareæ episcopus, migraturus è vita, cùm quæsiuisset quot in ciuitate Neocęsariēsi reliqui essent infideles; responsumque esset, tantùm esse septemdecim: *Deo gratias*, inquit, *Totidem enim tantùm fideles erant.*

erant, quando cœpi episcopatum. Gregorius Magnus ad Anastasium scribens Antiochenum episcopum, de cuius optima vita & administratione fama referente multa cognouerat; epistolam incipit hoc exordio, *Gloria in excelsis Deo*, & eodem fine epistolam claudit. Idem pontifex audita cõuersione gentis Anglorum, scribens ad Augustinum eius gentis episcopum, rursus eiusdem hymni angelici verbis incipit epistolam, & claudit. Quod cùm ab eo tam studiosè ac penè curiosè in duabus epistolis factum videamus; quid aliud eum significare voluisse putemus, quàm pro eo bono quod audiuerat, & quo lætificatus fuerat; solidam perfectamque Deo gratiam & gloriam deberi? Sed quid hæc commemoro tanquam rara exempla; quando per vniuersam ecclesiam apostolo iubente non tantum fiunt orationes, obsecrationes, postulationes, verùm etiam gratiarum actiones; illæ, pro bonis impetrandis; istæ, pro bonis acceptis? Sed pro quibus bonis? Nemo hoc melius quàm Cælestinus pontifex dixerit, qui in epistola ad episcopos Galliæ, cùm dixisset, ecclesiam precari Deum vt infidelibus donetur fides; lapsis pœnitentia; & cętera quæ ibi recenset, de his ipsis bonis ita cõcludit, *Quod adeo totum diuini operis esse sentitur, vt hæc efficienti Deo, gratiarum semper actio laudisq; confessio, pro illuminatione talium*

Lib. 4. ex. 37.

vel

vel correctione, referatur. Finem facio si vnum adhuc adiecero, quod ad rem præsentem maximè puto pertinere. In ore fidelium, publicè ac priuatim, frequentissimum est illud, *Deo gratias.* De quo sic Augustinus in epistola ad Marcellinum; *Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quàm Deo gratias? Hoc nihil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.* Sic ille. Sed quis author huius verbi abbreuiati? Primum & solum hoc lego apud apostolum Paulum in epistola ad Rom. semel, in prima ad Corinth. semel, & in 2 ad Cor. ter, scilicet prouidēte Spiritu sancto vt per apostolum Paulum ecclesiæ traderetur, ab Augustino tam magnificè commendaretur: quos ambos gratiæ Dei præcipuos assertores nouimus. Voluerunt aliquando Donatistæ, instigante diabolo, ab ore fidelium tollere, *Deo gratias*; & substituere, *Deo laudes*: cuius rei etiam Augustinus meminit. At nihil effecerunt. Ac certè multo melius est, *Deo gratias*, quàm *Deo laudes.* Nam istud *Deo gratias* includit hoc *Deo laudes*, non contrà. Multos enim laudamus sine gratiarum actione, vt qui nihil in nos beneficij contulerunt: quicunque verò gratias agit, beneficium laudat simul & benefactorem. Quid igitur voluit hæreticus Donatistarum spiritus, quando per *Deo laudes*, *Deo gratias* obliterare conati sunt, nisi

Ep. ad Sixt. 152.

nisi id agere vt gratiæ verbo sublato ex ore, ipsa etiam gratitudo quam Deo debemus, de corde recederet? Vis itaque nosse pro quibus bonis Deo sint agendæ gratiæ? (hoc enim argumentum seruaui postremum) obserua & vide pro quibus bonis fideles authoritate & traditione apostolica in hanc consuetudinem inducti, dicere cõsueuerint *Deo gratias*. Et cum diligenter obseruaueris; nihil inuenies exceptũ omnium eorum, quæcunq; vel accidunt homini, vel ab homine fiunt; bonorum. Quod si intima cordis alieni perspicere posses; quidquid ibi vel bonæ cogitationis vel rectæ voluntatis, vel sancti desiderij conspiceres: identidem *Deo gratias* ad omnia & singula fidelis animus dicere non dubitaret. Verũ pro breuitate temporis hęc sufficiant. Ex quibus arbitror planum & perspicuum esse, si apostolicis & propheticis verbis auscultamus; si beatos spiritus iustorum, si angelos sanctos, si ipsum Christum Dominum & saluatorem nostrum nobis imitandos credimus; si filij ecclesiæ simus, eiusque doctrinam & traditionem libenter amplectimur, si verbum breuiatum *Deo gratias* quoties ore proferimus, corde tenemus: nihil profecto bonorum esse, siue eorum quę externa dicuntur, siue quæ corporis, siue quæ animi sunt bona, pro quo non veram, plenam, perfectam authori & largitori Deo debeat homo Chri-

stianus gratiarum actionem. Hæc ad omnes quidem, sed ad vos potissimum dicta sint, Baccalaurei canditati. Præuenit vos Deus in benedictionibus suis, auxit vos donis suis. Quidquid studij, quidquid industriæ, quidquid laboris atque conatus in profectum vestrum impendistis; Dei donum est. Ipse profectus scientiæ, gratiæ, pietatis, à Deo est. Non quidem vnus omnia, sed alius alia multiformis gratiæ dona consecutus est; idque secundum beneplacitum voluntatis eius, qui distribuit singulis prout vult: Omnia tamen ad ędificationem corporis Christi quod est ecclesia. Igitur beneficia Dei agnoscite. Apostolicum pręceptum est, *Grati estote*. Bona vestra in originem suam refundite. *Cessat enim gratiarum decursus*, ait Bernardus, *vbi recursus non fuerit*. Nec modo nihil augetur ingrato; sed etiam quod accepit in perniciem vertitur. Quod ne cuiquam vestrum contingat, fontem beneficientiæ diuinæ, ex quo bona quæ habetis fluxerunt omnia, ad vberius & copiosius influendum in animas vestras, quotidianis gratiarum actionibus prouocate. Ita certissimè futurum, vt qui dedit, dona sua multiplicet, & tandem multiplicata coronet. Quod vobis ipse concedat qui est super omnia benedictus. Amen.

Cant. ser. 35.

ORATIO

ORATIO OCTAVA.

Extra Christi ecclesiam non esse salutem.



DOMINVS & saluator noster, auditores, cum de misterio carnis suæ & sanguinis in cibum & potum exhibendę ad Iudæos loqueretur; & hoc eius sermone non solum plerique de turba offensi disceptarent inter se dicentes; *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*; verum etiam multi ex discipulis eius, dicerent: *Durus est hic sermo; & quis potest eum audire.* atque ob hanc causam magistrum suum desererent, & vt scribit Euangelista, abirent retro, neque amplius Ioa. 6.

cum eo ambularent; ipse vero cum ad duodecim apostolos conuersus diceret; *Nunquid & vos vultis abire?* respondit ei Simon Petrus & dixit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus quia tu es Christus filius Dei.* Quæ euangelica narratio peroportuna nobis visa est, quæ & faceret ingressum & materiam suppeditaret ad id de quo præsens ista futura est ad vos oratio. Id autem est Ecclesiã Christi non esse deserendã; quod extra eam salus esse non possit. Breuis propositio: De qua nos, non tam docendo quam exhortando, atque excitando inuicem fidem vestram atque meam, vt apud veros atque ingenuos ecclesiæ filios decet; breuiter item, adiuuante deo, verba facturi sumus. Christum & Ecclesiam, vnam quodammodo personam esse, secundum scripturam sacram docent Sancti Patres, nominatim Augustinus & Gregorius. Huius personæ caput Christus est, corpus ecclesia. Sicut enim Christus caput est ecclesiæ, ita vicissim ecclesia corpus Christi. Vtrumque vnâ sententiâ complexus est apostolus ad Ephes. 1 sic dicens: *Et ipsum*, scilicet Christum, *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et cap. 5. *Christus caput est Ecclesiæ, Ipse saluator corporis sui.* Et ad Colos. 1 *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Iam vero, sicut iuxta regulam Tychonij ab Augustino lauda-

tam & explicatam, multa in scripturis sacris de Christo quasi de capite dicuntur, quæ in corpus eius dicta intelligi oporteat; ita multa quæ Christus Dominus dixisse aut fecisse aut passus fuisse legitur, occulto quodam significationis sacramento, ad corpus eius quod est ecclesia, cuius ipse caput est, sunt referenda. Non enim dedignatus est in actionibus & passionibus suis quas pro Ecclesia subiuit, eiusdem ecclesiæ typum gerere, & per eas quid illa actura vel passura esset, significando prænunciare. Rem exemplis declaremus. Cum mulier hæmorrhoissa vestē Christi tetigisset; dixit ille: *Quis me tetigit?* Cui responsum est à discipulis: *Turbæ te comprimunt & affligunt? & dicis Quis me tetigit;* Quâre, quid aliud significatum est, quàm futuros in Ecclesia quamplurimos qui eam comprimerent, & comprimendo affligerent, malis & scandalosis moribus viscera eius lacerantes; paucos vero qui eam vera & viua fide tangerent; Alibi dixit Christus ad quosdam: *Quæritis me, non quia manducastis ex panibus, & saturati estis,* An non similiter Ecclesia multis dicere potest; Quæritis me, & mihi ad hærere vultis, non quia signa veræ ecclesiæ in me, agnoscitis; sed vt manducetis & saturemini de bonis terræ quibus me sponsus meus locupletauit; Rursus alibi de Christo dicitur: *Ingressus domum, neminem voluit scire: &*

Luca. 8.

Io. 6.

Marci. 7.

non potuit latere. Sic nimirum corpus eius, quod est Ecclesia, quantò magis quasi latere vult per humilitatem, eò minus latere potest, propter fulgorem virtutum procul lucentem, & odorem bonæ famæ qui ab ea dispergitur in omnem locum. Alibi de seipso Christus ait: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Sic & Ecclesia de seipsa, per os Pauli: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei &c.* Addendum aliquid, proposito nostro vicinius: Instruit Christus ac præmunit fideles suos contra falsos doctores qui venturi erant in nouissimis temporibus; dicens, *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic; nolite exire, nolite credere.* Quod si ad Christi redemptoris personam referas, quotusquisque falsorum magistrorum est, aut fuit, qui se Christum esse diceret; aut Christum se esse dicens, fidem apud populum inuenerit? Sed si in Christo corpus Christi id est, Ecclesiam intelligas; optimè perspicies, quid sit de quo tam solicitè cauendo dominus præmonitos nos voluit. Qui enim sunt qui hodiè dicunt: Ecce hic est Christus, Ecce illic, Ecce in penetralibus: nisi qui Ecclesiam Christi Catholicam & vniuersalem atque apostolorum prædicatione per omnes gentes diffusam, ad suos angulos reuocare contendunt, quorum alij dicunt; Ecce apud nos est ecclesia, qui Lu-

Lucæ 24.

Act. 14.

chenm sequimur magistrum: Alij Ecce apud nos, qui Caluino doctore gloriamur; scilicet exemplo Donatistarum, qui olim dicebant: *Ecce apud nos, in Africa, in parte Donati, & nusquam alibi est*. Verum de hoc aliàs. Satis enim nunc nobis est, per hæc exempla monstrasse, quod propter vnitatem Christi & Ecclesiæ, tanquam capitis & corporis, multa Christi dicta & facta in Ecclesiam quadrent; adeo vt interdum etiam in Christo Ecclesia intelligatur. Quod si tale quid etiam in illa narratione euangelica, quam initio adduximus, interpretemur: non arbitror eam contemplationem à mente eius qui calamum euangelistæ ad scribenda Christi & discipulorum opera, direxit, alienam esse. Videamus enim an non quotidię de doctrina Ecclesiæ à multis dicatur, quod tunc de doctrina Christi à multis dicebatur; *Durus est hic sermo: & quis potest eum audire?* Ioa. 6.
Docet Ecclesia, vtique à sponso suo Christo edocta, in eucharistiæ sacramento, vere realiter & substantialiter contineri corpus & sanguinem Christi; Sed multis durus est hic sermo, & auditu intolerabilis; nihilo minus quam illis sermo Christi, quibus dicebat, *Nisi manducaueritis carnē filij hominis & biberitis eius sanguinem: non habebitis vitā in vobis*. Docet ecclesia, peccata confitēda esse sacerdoti. Quam multi respondent: *Durus est hic sermo; & quis*

potest eum audire? Exigit Ecclesia pro peccatis fructus dignos pœnitentiæ; Iubet deo reddi vota perpetuę continentię, paupertatis & obedientię; Matrimonia negat solui posse, ne quidem per adulteriũ; Præscribit certa ieiunia, & certis diebus abstinentiã à carnibus: Ad hęc & huiusmodi, an non à quam plurimis respondetur; Duri sunt hi sermones; & quis potest eos audire? Denique, non solum propter dogmata fidei, verum etiam propter præcepta morum quæ filijs suis tradit Ecclesia; multi dicunt: *Durus est hic sermo*. Non quia durum est aliquid in omnibus istis; quomodo nec erat in doctrina & verbis Christi; Sicut enim Christi, sic & ecclesiæ suaue iugum est, & onus leue; sed quia carnalis homo ea quæ ratione non assequitur, aut quæ cupiditatibus suis sentit contraria, dura & factu impossibilia iudicat: Quid ergo sequitur? *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant*. Quare hoc? nisi quia sermo Christi durus eis videbatur, & ferre eum non poterant. Quis, non videat hoc quoq; apertissimè in Ecclesia Christi compleri; & quidem hac nostra tempestate, si vnquam aliàs? Quam multi non ferentes sermonem Ecclesiæ, sed durum eum interpretantes, abierunt retro; & non modo cum eâ non ambulant, sed hæretici & schismatici facti sunt; id est hostes Ecclesiæ palam se declarauerunt!

runt! Dixit ergo Iesus ad duodecim, *Nunquid & vos vultis abire?* Tam multis ab Ecclesia recedentibus vt in eorum comparatione pauci remansisse videantur; ad hos ipsos paucos apud remanentes, quasi sermonem Ecclesia conuertit. Sunt autem significati per duodecim; quia nimirum illi remanent, qui Ecclesiam ab apostolis fundatam & doctrinam eius ab apostolis traditam esse, firmiter credunt. Neque enim facile Dimouentur vt recedant, qui se cogitant ædificatos esse super fundamentum apostolorum. Dicit ergo eis Ecclesia, *Nunquid & vos vultis abire?* Sicut enim Christus apostolos suos ita continebat in suo discipulatu, vt tamen per liberum arbitrium si vellent, abire possent, & magistrum deserere: sic Ecclesia, non solum infirmos sed etiam firmiores quosque intra gremium suum ita continet, vt tamen non ignoret adhuc mutabilem in eis esse voluntatem, qua & recedere ab ipsa possint, & magisterium eius derelinquere. Sed quod sequitur audiamus, *Respondit ei Simon Petrus; Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus quia tu es Christus filius Dei.* Plena mysterij, doctrinæ & consolationis verba sunt ista. *Respondit Petrus*, vtique suo & cęterorum nomine, loquitur enim plurali numero; *Ad quem ibimus? Et nos credimus & cognouimus.* Sed ideo

ideo solus loquitur, vt in vno loquente vnitas Ecclesiæ monstretur. Et merito solus nunc loquitur pro omnibus ad fidei perseuerantiam, qui apud alium euangelistam solus pro omnibus fecit fidei professionem. Vnde & meruit

Matth. 16. audire; *Tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Igitur & nos respondeamus ecclesię, & ad imitationem Petri dicamus; Domina, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus, quia tu es corpus & sponsa Christi filij Dei. Ideo Domina; quia Domini nostri sponsa. Ad quem ibimus, si à te recesserimus? Sicut præter Christum non est salus; ita nec pręter te,

Eph. 5. quæ corpus Christi es. *Ipse enim saluator corporis sui.* Quare si salui esse volumus; in te, quæ corpus es Christi, necesse est maneamus. Neque enim caput influit vitam, nisi in membra cor-

Tract. 26. in Ioan. poris sui. *Si vis viuere,* ait Augustinus, *de spiritu Christi; esto in corpore Christi.* Atque hoc est quod Petrus dicere nos docuit: *Verba vitæ æternæ habes.* Christus quidem verba vitæ ęternæ habet, quia doctrinam quâ ad vitam perueniatur æternam, tradidit, & gratiam quâ secundum eam doctrinam viuatur, impertit: Ecclesia verò verba vitæ æternæ habet, quia doctrinam, vitalem atque salutarem Christo tradente, cum abundantia gratiæ accepit, & eandem integram, puram ac illibatam perpetuâ successione,

cessione, vsque in finem, custodit. *Neque enim portæ inferi*, id est spiritus erroris & nequitiæ, vnquam *prævalebunt aduersus eam. Ipsa est columna & firmamentum veritatis.* Ipsa est cui Christus promisit spiritum veritatis mansurũ cum ea in æternum. Ipsa est cui iam olim per prophetã dictum est à Domino: *Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, amodò & vsq; in sempiternum.* Quæ cum ita sint: cur non ei absque omni hæsitatione dicimus: *Verba vitæ æternæ habes?* Magna profectò ratio manendi, & non recedendi ab ea. Quid enim optabilius vita æterna? quæ sicut symboli nostri conclusio est, ita & spei nostræ consummatio. Hanc igitur si cupimus, si quærimus, si speramus; ab ecclesia cui soli verba vitæ æternæ concredita sunt, non recedamus. Hæreamus in corpore, vt viuificemur à capite. Adhæreamus sponsæ, ne nos ve adulterinos abijciat sponsus. Credimus enim & cognouimus quod ecclesia corpus est & sponsa Christi. Sed est adhuc quod in persona Petri consideremus. Nec enim solum hîc docemur non esse deserendam ecclesiam Christi, quòd extra eam non sit salus; verum etiam admonemur quænam ea sit ecclesia, ne forte quis, in manifesta luce cæcutiens, ciuitatem hanc supra montem positam, quæ abscondi non potest,

Matth. 16.

1. Tim. 3.

Ioa. 14.

Isa. 59.

test, non videat. Cum ergo multi abirent retrò, soli illi remanserunt cum Christo quorum nomine locutus est Petrus, dicens: *Domine ad quem ibimus? &c.* Ita sane cum multi ab ecclesia discedant; illi soli in ea remanent qui Petrum sequuntur pro omnibus loquentem: Petrus non deserit Christum: Tu caue ne deseras Petrum: Petrus enim Petra supra quã Christus suam ædificauit ecclesiã. Sed Petrum non sine successore suo intellige: ne aliquando vacillet promissio. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Hæc igitur est illa ecclesia, quæ tibi deserenda non est, si perire non vis; Ecclesia super Petram, quæ Petrus est, fundata, apostolica; Romana. Hæc est quæ verba vitæ æternæ habet, quia in ore eius posuit Dominus verba sua, quæ non recedent ab ore eius, nec ab ore seminis eius vsque in æternum. De hac beatissimus Cyprianus in libro de vnitate ecclesiæ. *Quisquis*, inquit, *ab ecclesia segregatus, adulteræ iungitur; à promissis ecclesiæ seperatur. Nec perueniet ad Christi præmia, qui relinquet ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem qui non habet ecclesiam matrem. Si potuit euadere quisquam qui extra arcam Noë fuit; & qui extra ecclesiam foris fuerit, euadit.* Et infrà: *Esse martyr non potest, qui in ecclesia non est. Ad regnum peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura est dereliquit.* Et iterum:
Cum

Cum Deo manere non possunt, qui esse in ecclesia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestijs, animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ; nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. De hac item ecclesia S. Hieronymus ad Damasum Petri successorẽ, ita scribit: *Ego nullum primum nisi Christum sequẽs, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit; profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit; peribit regnante diluuio.* Et idem alibi: *Qui ab ecclesia recesserit; statim peste morietur.* In c. 4. Ezech. Longum esset aliorum Patrum de hac re attexere testimonia: sunt enim innumera. Neque profectò necessarium nobis, qui, Dei beneficio, filij Ecclesiæ Catholicæ sumus, qui congregamur intra vnum ouile, qui sequimur vnum pastorem; quibus proinde persuasissimum est iuxta S. scripturarum fidem, apostolorum doctrinam, Patrum authoritatem, magni denique concilij Lateranensis apertissimam definitionem; *Unam esse fidelium vniuersalem Ecclesiam; extra quam nullus omnino saluetur.* Cui inter tot exempla filiorum desertorum, hæreticorum, dico, & schismaticorum, vicinos quosque ad defectionem & desertionem Ecclesiæ sollicitantium; tanquam ipsa nobis diceret,

ceret, *Numquid & vos vultis abire?* respondeamus quotquot veri fideles sumus, ædificati super fundamentum apostorum, atque in petra solidati, respondeamus inquam, & vnius Petri ore velut pro omnibus loquentis, dicamus: Domina, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Credimus enim & cognouimus quia tu es corpus & sponsa Christi. Quam fidem in nobis cõfirmet idem Christus dominus ecclesiæ suæ saluator & rector, qui est in secula benedictus.

Anno 1594. Iunij 21.



ORATIO

ORATIO NONA.

Hæreses nostri temporis iam olim condemnatas esse.



VOD in iudicijs forensibus obtinet, ornatissimi & honoratissimi viri, vt, siqua causa semel in supremo tribunali iudicata ac definita fuerit, eam postmodum retractari non liceat; maximè si & diuturnitas temporis sententiæ robur addiderit, & ad eam longa continuaque possessio partis victricis accesserit: id si dicam in causis religionis ac fidei, iure meritoque obtinere debere; nemo vestrum erit, arbitror, qui non mecum sentiat, & non illud æquissimum iudicet. Nam illic

illic quidem humanæ leges finem litibus statuunt, ne semper incertæ maneant rerum possessiones, neue iusticia quæ vnicuique quod suum est, reddit, perpetuis altercationibus exclusam, confusam semper ac perturbatam relinquat rempublicam: hîc vero, lex diuina certum instituit iudicium; quo controuersiæ semel terminatæ rursus ad examen reuocari non possent, ne, sicut apostolus ait ad Eph. 4. semper simus velut paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ; ne simus, vt idem apostolus ad Timoth. scribit, nihil scientes, sed semper languentes circa quæstiones & pugnas verborum; neue, quod ad eundem, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Hoc enim verissimè in eos competere, qui nec inquirendi, nec dubitandi, nec disputandi finem faciunt, nec in vllo iudicio acquiescunt, nisi quod ipsi priuatâ sumunt authoritate, quis non videat? Porro iudicium illud certum quod controuersijs fidei dirimendis instituit lex diuina, non aliud est quam iudicium Ecclesiæ Catholicæ siue per supremum Ecclesiæ pastorem & iudicem, Romanum dico Pontificem, prolatum, siue in concilijs approbatis expressum; siue ex vnanimi & consentiente sanctorum Patrum doctrinâ, velut diuersorum iudicum sententijs, in vnum idemque decretum conspirantibus,

bus,acceptum. Quos vtique tres modos certæ definitæque sententiæ, in omni quæstione fidei ac morum, omnis antiquitas agnouit. Quare, si etiam in humanis rebus ac negotijs sæcularibus, obseruandum est quod generaliter præcipit Sapiens, dum ait; *Non iudices contra iudicem; quoniam secundum quod iustum est, iudicat*: Quantò minùs, contra Ecclesiam, rerum spiritualium iudicem à Christo constitutam, iudicare fas erit? quoniam multò magis illa secundum quod iustum est, iudicat. Hæc enim, apostolo testificante, columna est & firmamentum veritatis: Hæc, à Domino supra petram ædificata tantâque soliditate fundata est, vt portæ inferi nunquam aduersus eam sint præualituræ. De hâc præceptum habemus à Domino, vt qui eam non audierit, sit nobis sicut ethnicus & publicanus; quamobrem, ne semel ab ecclesiâ iudicata ac definita fidei dogmata, deinceps vllâ disputandi temeritate conuellerentur, non solum Patres docuerunt, Pontifices decreuerunt, concilia statuerunt; verùm etiam pijssimi Imperatores sanxerunt. Neque id modò quòd perspicerent eiusmodi temeritatem ecclesiæ paci, quam procurare & conseruare tenentur, esse vehementer inimicam; sed quòd etiam intelligerent contrariam esse legi diuinæ, Christique promissis; quibus ita confirmata est ecclesiæ iudicatoria potestas, vt à ve-

ritate fidei aberrare non possit; & proinde impium sit eius iudicium vel contemnere vel ab eo prouocare. Hanc igitur regulam si secuti fuerimus; vti profectò debemus omnes quotquot Christiani & Catholici dici volumus: iam certè facillimum cuique erit, animo complecti ac reputare secum, quid de tam multis, toto hoc nostro seculo subortis, nouorum dogmatistarum opinionibus, apud se statuere debeat. Taceo enim de iudicio ecclesiæ præsentis; non allego decreta synodi Tridentinæ nostris temporibus habitæ; non ingero condemnationem articulorum Martini Lutheri, per Leonem decimum: Ad iudicia antiquioris ecclesiæ te reuoco, quisquis es quem fidei imbecillitas vna ac simplici ecclesiæ voce non omnino sinit esse contentum. Volo quæras & consulas, quid ante annos 200, 300, 400, quid ante mille annos, & vltra, vsque ad apostolorum tempora senserit, docuerit, iudicauerit ecclesia de omnibus, aut penè omnibus, quæ nostra hâc tempestate à nouellis magistris; sed nequaquam ecclesiæ discipulis, in controuersiam vocata sunt. Hæc enim, ni fallor, ad veritatem persuadendam etiam simplicioribus quibusque, & ijs qui vel dialecticas argumentorum subtilitates non capiunt, vel ad operosas atque prolixas Doctorum de controuersijs lucubrationes euoluendas vacare non

non possunt, expeditissima via & ratio est; ex præiudicatis æstimare de præsentibus. Quocirca, age breuiter ac strictim præcipua quædam capita doctrinæ hoc nostro seculo controuersæ, percurramus; & num olim aliquando ad tribunal ecclesiæ adducta, iudicata ac determinata fuerint, videamus. Liberum arbitrium hominis negant omnes ferè, huius ętatis sectarij. At eam hæresim ante annos 1300. in Manichęo, & iterum ante annos 800. in Albanensibus, totius ecclesiæ consensus damnauit; ac demum in Ioanne Wicleff, Concilium Constantiense inter articulos eius 27 loco anathematizauit. Deum authorem esse peccati, docent sectariorum permulti; præcipuè Caluinistæ & Bezani. At eadem vęsana quondam Manichæorum & Florianorũ blasphemia fuit, eademque etiam Mahometistarum, vti notauit Cedrenus in vita Heraclij Imperatoris. Quam quidem impietaté vno ore patres omnes condemnarunt. Solemnis doctrina sectariorum est, solam fidem ad salutẽ sufficere: Verum hoc, ipsis etiam apostolorũ temporibus, pseudoapostoli quidã docuerunt, quos Petrus, Iacobus Ioannes, & Iudas, imo & Paulus, suis scriptis damnarũt; quemadmodũ Augustinus testatur in libro de fide & op. ca. 14, & de vnico baptismo contra Petil. ca. 10. id ipsum in Eunomio hæretico damnatũ, qui eodem Augustino referente,

ferente, in hæresi 54, asseuerabat, nihil cuiquam obesse quorumlibet perpetrationem ac perseuerantiam peccatorum, dummodo eius quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset. Quibus sane verbis non dissimilia dixit & scripsit Lutherus.
4. Docent Lutherani & Caluinistæ peccatum veri ac proprij nominis in baptizatis remanere, tametsi vt aiunt, non imputetur. At qui iam olim Procliani, teste Epiphanio in hæresi 46. habiti sunt à patribus hæretici, quòd dicerent peccatum in renatis viuere; nec radicitùs tolli per baptismum, sed sopiri per fidem. Messaliani quoque in eandem censuram incurrerunt, quòd dicerent baptismum non exscindere peccati radicem, vt author est Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum.
5. Negant Zwingliani & Caluinistæ ac plerique etiam Lutherani, præsbyteros Ecclesiæ potestatem habere remittendi peccata post baptismum admissa: Negarunt hoc ipsum olim Nouatiani, eo nomine per totam Ecclesiam iudicati hæretici; quemadmodum testantur Cyprianus lib. 4. ep. 2. Ambrosius duobus libris de pœnitentia, Epiphanius & Augustinus in hęresi Catharorum.
6. Sanctos cum Christo regnantes neque colendos, neque inuocandos esse; nec dies festos eis statuendos; nec frequentandas eorum memorias, nec honorandas eorum reliquias, nec peregrinationes
ad

ad pia loca suscipiendas; communis est ac decantata omnium sectariorum doctrina: Sed ea primum Manichæi hæresis fuit, deinde Eustachianorum, vt ex concilio Gangrensi constat; postmodum Vigilantij, quemadmodum liquet ex Hieronymo eius antagonista, fideique Catholicæ aduersus eum propugnatore; Denique posterioribus seculis, eorum qui dicti sunt Pauperes à Lugduno; Hæresis, inquam, quoties renouata, toties ab Ecclesia damnata. Do- 7.
cent vno ore sectarij, nec orãdum pro defunctis, nec sacrificium pro ijs offerendum. At ea ipsa fuit hæresis Aërij, quem in catalogo hæreticorum scripserũt Epiphanius & Augustinus; fuit item Henricianorum, Albigensium, & Pauperum à Lugduno, quos omnes Ecclesia suo iudicio profligauit. Purgatorium anima- 8.
rum tollunt ijdem penè omnes sectarij: At quicunque illud superioribus seculis sustulerunt, hæretici iudicati sunt, Albanenses, & Albigenses, Henriciani, & Petrobrussiani, necnon Apostolici, falsò à seipsis nominati, quos doctissimè S. Bernardus Clarçuallẽsis serm. 66. in Cantica, & Venerabilis Petrus abbas Cluniacensis, peculiari libro refutarunt. Sunt in- 9.
ter Caluinistas qui doceant, nullum crimen esse, si fides animo retenta, apud persecutorem ore negetur; atque illud vsurpent, Iura, periura, secretum prodere noli: Quæ quidem olim

doctrina Elcesaitarum fuit, ab Eusebio Cæsariensi commemorata lib.6 cap.31, & inter hæreses ascripta ab Augustino. Fuit & Priscillianistarum, eodem Augustino teste, quorum dogmata tam Pontifices Romani quam episcoporum concilia anathemate damnarunt. Fuit & Apostolicorum, de quibus modo dice-
10. bamus. Indicta Ecclesiæ ieiunia, & certorum abstinentiam ciborum fortiter contemnunt sectarij omnes. Contemserunt & olim, Augustino teste, Aërius & Iouinianus; & longe post eos, Pauperes Lugdunenses. Sed æquè omnes, hæretici propter hoc ab ecclesia iudi-
11. cati. Inter nuptias & virginitatem nullum esse discrimen apud Deum, plerique omnes sectarij docent. Idem docuerunt, & à Patribus dam-
12. nati sunt, Iouinianus atque Heluidius. Omnium parem esse in cælo beatitudinem docent Protestantes; Docuit hoc ipsum Iouinianus,
13. & Patrum iudicio condemnatus est. Cælibatum episcoporum, sacerdotum ac cæterorum ecclesiæ ministrorum oppugnāt omnes huius sæculi nouatores. Oppugnauit item, stylo beati Hieronymi confossus & ab ecclesia damnatus
14. olim, Vigilantius. Christi & Sanctorum imagines deturbant è templis & demoliuntur omnes sectarij; Sed nec crucis salutiferæ signum pingunt aut honore aliquo dignantur. Verum vtrâque in se Iulianum apostatam authorem

chorem agnoscant, qui & statuam Christi ab hæmorrhoissa muliere positam impiè deiecit, & signum crucis pari impietate despexit. Testes sunt Sozomenus lib. 5. cap. 20 & Socrates lib. 3. cap. 3. Agnoscant & Leonem Isauricum & Constantinum Copronymum, & vniuersum genus Iconomachorum, cum Waldensibus & Albigensibus, sui furoris atque doctrinæ consortes: Quos nimirum omnes, & particularibus iudicijs episcopi per regiones, & vniuersali sententiâ Patres septimæ synodi œcumenicæ, condemnarunt. Instituta mona- 15.
stica, & vouendi religionem vno ore carpunt, & superstitionis accusant, sectarij: Sed id iam olim fecerunt Lamperiani teste Damasceno, & Longobardi, & Pauperes Lugdunenses & Wicleffistæ: Quippe Ioannis Wicleff quatuor super hac re articulos confixit anathemate Synodus Constantiensis. Voluntariam pauper- 16.
tatem & quorundam ordinum religiosorum mendicationem damnant sectarij: Sed hoc ipsum, in duobus articulis eiusdem Ioannis Wicleff, a Concilio Constantiensi damnatum legimus. Aduersus indulgentias ecclesię, pri- 17.
mus hoc seculo disputationem instituit Martinus Lutherus; Ei assenserunt omnes sectarij. Verum multo antè, eas contempserunt Pauperes à Lugduno, & Ioannes Wicleff. cuius item articulus est de re condemnatus

 extat

18. extat in eodem Constantiensi concilio. *Pri-*
matum Romani Pontificis de medio tollunt,
& omnes Ecclesiæ Romanæ constitutiones
repudiant, in vniuersum sectarij omnes: Sed
dudum ante eos illud ipsum fecerunt ij quos
dixi, Pauperes à Lugduno, tum Ioannes Wi-
clef & Ioannes Hus; quorum de eâdem re
condemnatos articulos aliquot in memorato
concilio Constantiensi videre est. Vt ad Eccle-
19. siæ sacramenta veniamus, nullá per ea gratiam
conferri, doctrina est omnium fere sectario-
rum. Hoc de baptismo, de Eucharistiâ, de cle-
ricorum ordinatione tradiderunt olim Mes-
saliani eoque nomine iudicati hæretici; vt au-
thor est Theodoretus lib. 4. fabularum hære-
20. ticarum. Baptismi ceremonias, atque in vni-
uersum omnes Ecclesiasticas benedictiones,
spernunt & irrident sectarij: Sed huius impie-
tatis suæ magistros habent Waldenses, Fla-
gellantes, Lollardos & similia portenta, iam
21. olim ab Ecclesiâ pulsa & prostrata. Paruulos
ex Christianis parentibus natos, sine baptismo
saluari, docuit Ioannes Caluinus: At hoc in
Pelagianis olim damnatum fuisse, nemo do-
ctus & in B. Augustini scriptis versatus, igno-
22. rat. Consignationem episcopalem in Ecclesiæ
Sacramentis sectarij non agnoscunt: Spreuit
& olim Nouatianus, Eusebio teste lib. 6. c. 35.
Spreuerunt item Waldenses, & reliqui dam-
nati,

nati, quos modo dicebam. In Eucharistiæ Sa- 23.
cramento non contineri realiter & substantialiter corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sententia est omnium hodie Sacramentariorum: At fuerunt & olim beati Ignatij tempore (teste Theodoreto dialogo tertio) qui non confiterentur Eucharistiam esse carnem Saluatoris quæ passa est pro nobis. Manifestiùs verò, maiorique successu posteà docuit idipsum Berengarius, mox Henriciani & Albigenses & Wicleffistæ. Sed hos omnes, impij erroris, Romani Pontifices ac cæteri episcopi
non vno concilio, condemnarunt. Remanere 24.
in sacra Eucharistia substantiam panis & vini post consecrationem, docent non modo Sacramentarij, sed etiam Lutherani. Verum id non solum in Berengario Sacramentariorum principe damnatum est olim, sed & in Ioanne Wicleff, disertis verbis iterandam eiusdem erroris condemnationem censuerunt Patres Constantiensis concilij, quemadmodum, li-
quet ex articulo 1. & 2. Sacrificium externum 25.
& visibile in Ecclesia nullum esse; duce & antesignano Luthero contendunt omnes sectarij, non sine grauissimis in Missam siue liturgiam ecclesiasticam maledictis & contumelijs. Sed hac in parte, doctrinæ ac blasphemiæ suæ parentes habent, velint nolint, Bogomites hæreticos, qui in Græcia tempore Alexandri 3.
Ponti-

Pontificis exorti, Missam dæmonum sacrificium sacrilego ore nominarunt; vti testatur Euthymius 2. parte suæ Panopliæ titulo 23. Nec dissimilis fuit insania Henricianorũ, & Ioannis Wicleff, cuius articulum quintum numero, quo dicebat non esse fundatum in Euangelio, quod Christus Missam ordinauerit, cum cæteris eius articulis damnarunt Patres synodi
26. Constantiensis. Confessionem peccatorum quæ sacerdoti fit tanquam Christi vicario, non admittunt sectarij: Sed & eâ in re necesse est Ioannem Wicleff in concilio Constantiensi condemnatum, eoque antiquiores Waldenses hæreticos, authores & patronos agnoscant.
27. Inter episcopum & presbyterum nihil prorsus interesse, docent sectarij. Idem planè docuit olim Aërius Arianus; Sed tanquam manifestam hæresim refutauit Epiphanius. Nec alio loco habiti sunt, qui eandem doctrinam posteà refricarunt Marsilius Patauinus & Pauperes a
28. Lugduno. Extremam vnctionem sectarij non modo è Sacramentorum Ecclesię numero eximunt, verum etiam derisui habent: Itidem fecerunt Lugdunenses Pauperes, & similium sectarum homines; episcoporum iudicijs & Romanorum Pontificum decretis, condemnari.
29. Ecclesiam Christi inuisibilem esse, & ex solis prædestinatis constare, doctrina est sectariorum penè omnium: Sed eam in Ioanne Hus ana-

anathemate damnauit Synodus Constantiensis, idque per plures articulos. Catholicam Ecclesiam de orbe terrarum perijsse; & quod ad externam attinet professionem & Sacramentorum celebrationem, apud se solos reliquam esse; cæterum prioribus aliquot sæculis extinctam fuisse, docent Lutherani & Caluinistæ. An non hoc prorsus simile est cum eo quod olim dixerunt Donatistæ, Christi Ecclesiam, propter crimina Cæciliani, perijsse de toto orbe terrarum; & in solâ Africâ, solâque Donati parte remansisse? Nisi quod Donatistæ nunquam penitus eam deletam ac deperditam fuisse quoad externam faciem, docuerũt; quod isti docent. Quare si illos ob eiusmodi doctrinam in hæreticorum numero semper habuit Ecclesia; quantò magis istos? Sed video me modum excedere in enumerandis sectariorum nostri sæculi placitis & opinionibus, quas cum hæreticis, ecclesiæ iudicio iam olim damnatis communes habent; tametsi fateor nondum omnes me percensuisse; nec profectò in tantâ errorum multitudine & confusione, facile mihi esse vt omnes percenseam. Quare superest vt receptui canam, & quod initio volui, concludam. Si enim nihil penè est in doctrinis & placitis eorum, qui de fide & religione controuersias Ecclesiæ Catholicæ nostro hoc sæculo suscitarunt, quod non olim ipsius Ecclesiæ,

clesiæ, quæ tunc sine omni controuersia nomen Ecclesiæ cum omnibus eius priuilegijs possidebat, iudicio & authoritate fuerit condemnatum: nulla profectò causa est cuiquam Ecclesiæ filio, vt non, pro ea reuerentia atque obedientia quam Ecclesiæ, Christi sponsæ, atque omnium fidelium matri, debet; nec non pro ea solicitudine quam sibiipsi debet pro æterna sua salute, in eiusdem Ecclesiæ doctrina, iudicio, definitione, cum omni securitate conquiescat.

Anno 1597. 14. Octob.

Additio Authoris.



POTERANT quædam adiungi superioribus: velut, S. Mariam non mansisse virginem in partu. qui olim idem dixerint videbis apud S. Augustinum hæresi 82. Largitiones male conferri in Monasteria, Templa Ecclesias: Quod dixerunt etiam Albigenses & wiclefus, & alij, apud Prateolum.

Paruulis nihil prodesse baptismum: Id hodie Anabaptistæ docent: olim Henriciani & Petrobrussiani.

Contemnunt cantum ecclesiæ multi: olim Pauperes Lugdunenses.

Miracula quæ in ecclesia fiunt impiè calumniantur sectarij plerique, inter eos præcipuè Centuriatores Magdeburgenses: Idem fecerunt Pauperes Lugdunenses. Omitto alios & alia.

ORATIO

ORATIO DECIMA.

In Ecclesia Christi malos esse permixtos bonis.



APIENTIS nostri sententia est in Prouerbijs, auditores, *Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico; omni tempore erit exprobrabilis.* Generale quidem est hoc prouerbiũ & multis humanæ vitæ exemplis comprobatum: sed cuius veritas in nullo hominum genere clarius & euidentius agnoscitur, quàm in desertoribus Ecclesiæ Catholicæ, Hæreticos dico & schismaticos. Hi namque dum ab Ecclesia, quam sponsus eius in Canticis, amicam vocat, recedere & separari volunt,

volunt, siue quod sensum suum sensui matris Ecclesiæ subiicere detrectant, siue quod suaue iugum Ecclesiasticæ disciplinæ ferre non sustinent; occasiones quærunt, & prætextus, quos impiæ desertionis ac separationis suæ sceleri obtendant: nimirum vt iustâ ac necessariâ ratione compulsi, ab Ecclesia recessisse videantur. Multa igitur ac varia quæ sibi in Ecclesia Catholica meritò displiceant, proferre & commemorare solent; Verbum Dei neglectum ac deprauatum, tyrannidem Pontificum, superstitiones monachorum, fiduciam meritorum, ceremoniarum onus importabile, sacramentorum vsum inuersum & contaminatum, horrendam in sacrificio Missæ idololatriam, denique mores corruptissimos eorum qui sibi Ecclesiæ Catholicæ nomen vendicant. Ecce occasiones ecce prætextus, quos ad palliandam turpitudinem suam quærunt ac sibi fingunt filij desertores, vtique malitiâ suâ & calumniandi studio excæcati. Porrò quia de singulis quæ illi calumniantur, disputationem aduersus eos instituere, longioris est negotij, quàm quod breui possit oratione absolui: De eo solo quod vltimum à me positum est, id est, de occasione quam petunt ex morum corruptelâ eorum qui sunt in Ecclesiâ Catholicâ, (quoniam hâc in re apud imperitos exaggerandâ, valde diserti & copiosi esse solent; nec paucos,

quod

quod dolendum est, venenatis huiusmodi sermonibus à viâ salutis secum in perditionem abducunt) aliquid dicere pro instructione & cautelâ simpliciorum, nunc constitui. Quod vt Deo donante faciam vtiliter; primo loco ostendam Ecclesiam in sacris literis talem nobis describi, quæ durante hoc sęculo semper tàm malos quàm bonos intrà se contineat, malos inquam non à bonis separatos, sed bonis vbique permixtos. Deinde docebo propter quamtamcunque malorum hominum in Ecclesia multitudinem non esse cuiquam ab eâ recedendum. Tertiò quam graue sit & horrendum schismatis, seu separationis crimen, demonstrabo. Ac postremò, refellenda nobis erunt ea quæ pro sui schismatis excusatione proferunt desertores. Et quidem de eo quod primum dixi, fortè putabit aliquis superuacaneam fore nostram orationem: Satis enim ac plus satis docet experientia malos nusquam terrarum deesse, nullamque tam sanctam esse congregationem, in qua mali bonis sese non misceant; vt planè constet ecclesiam Catholicam in hoc sæculo sine malorum permixtione existere non posse. Sed quia tam veteres hęretici quam noui, super hâc etiam re litem ecclesiæ magistris suscitarunt, dum vel inuisibilem faciunt ecclesiam, eamque ex solis iustis constantem; vel, quę Catharorum ac Donatistarum

rum fuit olim impudentissima superbia, omnes suæ sectæ homines iustos & sanctos affirmant: factutus operæprecium mihi videbar, si in hoc etiam árgumento partem aliquam orationis insumerem, præsertim cum ab ea calumnia schismaticorum, vindicanda sit ecclesia, quâ sic eam grauant multitudine scandalorum & abundantiâ iniquitatis, vt compelli se dicant, si salui esse velint, ad eam deserendam, quasi de ea dictum ac præceptum nobis sit illud apostoli. *Exite de medio eorum & separamini*; Et quod angelus in Apocalypsi clamat; *Exite de illa populus meus, vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis; quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum.* Igitur, vt institutum exequar, vnde potius auspicabor, quàm à doctrina Christi Saluatoris nostri, qui in euangelio sponsam suam ecclesiam ita nobis describit, vt intra eam malos esse bonis permixtos apertissimè declaret? *Simile factum est, inquit, regnum cælorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo: Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici.* Et paucis interpositis: *Domine*, inquiunt serui ad patrem familias, *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.* Sermo quidem parabolicus, sed non dubiæ significationis, vt quem Dominus ipse discipulis

2. Cor. 6. ca. 18.

Matth. 13.

discipulis interrogantibus exponere dignatus est. Tantùm nomine regni cœlorum, quid significetur, videndum. Hoc enim ideo Dominus non exposuit; quia pars parabolæ non erat, sed magis nomen rei cui parabolam vellet accommodari. Quod igitur regnum cælorum? an Ecclesiæ triumphantis in cælis? Minimè verò: Nam illa ciuitas est de qua scriptum est in Apocal. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium.* Et iterum: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* At regnum cælorum de quo Dominus sub parabola disserit, non solum triticum habet sed & zizania; id est, non solum bonos sed & malos; non solum filios regni, sed & filios nequam, id est diaboli. Sic enim Dominus ipse semen bonum & zizania interpretatur. Quare si hæc de regno Ecclesiæ triumphantis intelligi nullo modo possunt, certè consequens est in Ecclesiam militantem ea dicta esse; quæ propterea regnum cælorum vocatur, quia etsi militet in terris; spes tamen eius & conuersatio in cælis est. Ac ne quis zizania non in regno cęlorum, sed in agro, quem Dominus mundum, non Ecclesiam exposuit, seminari & nasci cauilletur; audiat extrema Domini parabolam exponentis, verba; *Sicut ergo, ait, colliguntur zizania & igni comburuntur;*

Apoc. 21.

Apoc. 22.

 sic

sic erit in consummatione sæculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Quid in his verbis apertius, quam quòd in regno Christi, durante hoc sæculo, sint scandala & homines facientes iniquitatem; vt pote quos angelorum ministerio de regno eius in fine sæculi colligendos & separandos, atque in caminum ignis mittendos, ipse Dominus parabolæ suæ interpres, pronunciat? Audiamus & alteram parabolam.

Mat. 13. *Iterum*, inquit, *simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cùm impleta esset, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Hoc quamuis sub parabola dictum, post superioris tamen expositionem parabolæ videri potuit ita clarũ vt interpretatione non egeret, præsertim si cogitemus apostolos, ecclesię ministros atque prędfectos, quibus dictũ est. *Faciã vos fieri piscatores hominum.* Verumtamen ne qua forsitan apud nos, qui hæc eramus lecturi, remaneret ambiguitas; istam quoque parabolam Dominus exponere voluit; ita subiungens; *Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Si mali aliquando de medio iustorum separandi, sunt; ergo nunc sunt in medio iustorum, in eandem conclusi

sagenam,

sagenam, id est, ecclesiam hanc militantem. Neque enim aliud per sagenam, cui regnum cœlorum assimilatum est, intelligi posse, ex eo quod suprà de regni cælorum significatione dixi, manifestum est. Sed & tertiam parabolam audiamus. *Simile est regnum cælorum decèm virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes &c.* Quid fatuæ virgines, nisi malos ac stultos ecclesiæ filios, & quid prudentes, nisi bonos significant? Et tamen omnes in ecclesia sunt militante, quæ sub nomine regni cęlorum decem virginibus comparatur. Denique vt plura paucis colligam, quoniam ecclesia Christi varijs in scriptura sacra nominibus, per figuram & similitudinem, significatur; penè nihil eorum est, ex quo non demonstretur in eà bonorum & malorum hominum esse permixtionem. Ac primùm ecclesiæ Christi figuram atque imaginem in arca Noë fuisse nobis repræsentatam, Petrus apostolus in prima sua epistola declarat. Atqui scimus in arcam animalia munda pariter & immunda à Noë congregata fuisse. Scimus in eà fuisse non solos Sem & Iapheth, sed & Cham improbum filium. Deinde an non ouile est ecclesia Christi? At in ouili cui pastor vnus pręest, sunt & oues & hœdi in fine sæculi ab ipso pastore suo separandi, illæ collocandæ à dex-

Mat. 25.

1. Pet. 3.

Io. 10.
Mat. 25.

tris, hi statuendi à sinistris. Sed, etsi nomen ouilis ita vrgeas, vt in illud solas oues admittas; non tamen efficies, quin iuxta prophetam Ezechielem, sanas & ægras, fortes ac debiles oues, intra se contineat. Aream vocat Ecclesiam Christi, præcursor eius Ioannes baptista, *Cuius*, inquit, *ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam; & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Sicut ergo paleæ cum tritico replent aream, nec nisi ventilatione separantur: sic mali cum bonis implent ecclesiam, non priùs separandi quàm cuius ventilabrum est in manu sua, purget ac permundet aream ecclesiæ suæ. Quod profectò secundum Dominicas parabolas non est futurum ante sæculi consummationem. Iam & domus, & ciuitas, & regnum, ecclesia Christi vocatur; *Vt scias*, inquit apostolus ad Timot. *quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia Dei viui.* Et Christus in euangelio, *Non potest abscondi ciuitas supra montem posita.* Regnum verò ecclesiam appellari satis iam ex superioribus liquet; & de ea re sunt innumera scripturæ testimonia. Quæ verò domus vel paululùm numerosa, quæ ciuitas aut quod regnum, in quo non mali bonis permixti? quando & in familiâ Christi Domini tam paruâ, vt duodecim tantum hominibus constaret, non defuit homo tam malus

Ezec. 34.

Mat. 3.

1. Timot. 3.

Mat. 5.

lus vt diabolus dici mereretur; tam auarus, vt Dominum suum triginta argenteis vendiderit eis à quibus ad necem quærebatur. Legimus & nuptiali conuiuio comparatam ecclesiam, in quod rex ingressus vt videret discumbentes, vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, eoque dignum qui ligatis manibus ac pedibus mitteretur in tenebras exteriores. Postremò Christus Dominus semetipsum viti comparat, atque de eâ sic loquitur apud Ioannem, *Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum. Si quis autem in me non manserit: mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignem mittent, & ardet.* Sunt igitur in vite Christo non solum palmites fructiferi, verùm & steriles & infructuosi, separandi tandem & in ignem mittendi. Quomodo autem in Christo; nisi quia in ecclesia eius, quatenùs vnum corpus sunt Christus & ecclesia? Nam & ipsa corporis analogia ad eam rem de qua agimus, argumentum nobis suppeditat; vt sicut in corpore non solum integra & sana sunt membra, sed etiam læsa atque infirma, nonnumquam & mortua: Sic in ecclesia, quæ Christi corpus est, intelligamus esse non solum qui moribus integri sunt & probati, verùm etiam qui corrupti & improbi; nonnulli quoque, mortuorum instar, incorrigibiles ac desperati. Quod ne

Iom. 6. Matth. 26. Mat 22. Ioan. 15.

ne dubium cuiquā sit, docet hoc Christus, non sub parabola sed planis apertisque verbis apud
Mat. 18. Matheum, inquiēs, *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe illum inter te & ipsum solum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos. Quod si eos non audierit, dic ecclesiæ. Si autem ecclesiā non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ex quo sanè manifestum est in Ecclesia peccatores inueniri, & tales quidem qui nec fraternâ correptione, nec ipsius Ecclesiæ admonitione emendati, tamdiù tamen in ea manent, & fratres vocantur, donec ab ea, per illos qui ligandi soluendiquè potestatem habent, eijciantur iam non vt fratres, sed velut ethnici & publicani habendi. Certè si vlla est excommunicandi potestas in Ecclesia (quam vtique potestatem illo ipso loco Dominus instituit & commendauit): euidentissimè conuincitur in Ecclesia malos esse. Neque enim per excommunicationis censuram eijci possent, qui intùs non sunt; neque amputari qui non cohærent. Quocircà & fornicarius ille apud Corinthios, ab apostolo Paulo excōmunicandus, sic ab eo describitur vt intra ipsam existens Ecclesiam. Nam Ecclesiā Corinthiorum alloquitur
1. Corint. 5. quādo dicit, *Omnino auditur inter vos fornicatio.* Et iterum: *Tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Rursus, *Expurgate vetus fermentum.* Denique, *Auferte malum istum ex vobis ipsis.* Sed nec
auderet

auderet aut præsumeret apostolus de malis ac sceleratis hominibus, nisi intùs essent, iudicium exercere. *Quid enim mihi*, inquit, *de ijs qui foris sunt, iudicare? Nonne de ijs qui intus sunt vos iudicatis?* Adde, quòd ipsos Ecclesiæ prælatos non rarò malos esse contingit. Et quis dixerit eos à quibus Ecclesia regitur, in Ecclesia non esse? Ioan. in Apoc. sub nomine septem angelorum ad septem Ecclesias Asiæ, seu verius ad earum præpositos, scribens, fermè nullum prætermittit quem non grauiter reprehendat. Nominatim vero Sardensis Ecclesiæ episcopum sic alloquitur, *Nomen habes quod viuas, sed mortuus es.* Atqui fuisse hos in Ecclesia, adeo verum est, vt eorum crimina in Ecclesiarum reprehensionem redundarent. Credo satis à me esse demonstratum, auditores, Ecclesiam Christi in scripturis sanctis talem nobis describi, quæ durante hoc sæculo bonos & malos inuicem permixtos, tanquam animalia munda & immunda in arca Noë; tanquam aues & hœdos in ouili; tanquā bonum semen & zizania in agro; tanquam triticū & paleas in area; tanquam bonos & malos pisces in sagena; tanquam palmites fructiferos & infructiferos in vite, tanquam membra sana & infirma in corpore; denique tanquā homines probos in vnâ domo, ciuitate, regno, contineat intra se; nec prius separationē malorum à bonis admissura,

Apoc. 2. & 3.

 quàm

quam veniet ille ad iudicium qui reddet vnicuique secundum opera sua. Quapropter indubitanter affirmo, si qua in terris reperiretur hominum congregatio iuxta speciem externam tam sancta, vt in ea nulla apparerent scandala, nullum exemplum malum; credere me non posse congregationem huiusmodi illam esse Christi Ecclesiam quam in terris futuram sacræ literę nobis & prędixerũt, & notis manifestissimis ostenderunt: Sed vel esset hypocritica ac foris tantum dealbata Ecclesia; vel esset duntaxat portio quædam Ecclesiæ veræ Catholicæ. Nam licet Ecclesia nunquam scandalis caritura sit vsque ad finem sæculi; nihil tamen prohibet esse in ea congregationem paucissimorum aliquot hominũ, in qua, saltem ad breue tempus, non sint aut non appareãt scandala. quamuis hocipsum rarum sit & difficile. Cæterum illud definire non audeo, sitne maior in Ecclesia malorum numerus an bonorum. Neque enim eâ de re puto extare in scripturis certa & indubitata testimonia. Nam si ex parabolis coniectura petenda est; res prorsus ambigua relinquitur. Etenim plures esse malos, suadere quidem videbatur areæ similitudo, in qua palearum multo maior est numerus quam granorum tritici, Eòque referri poterit quod in arca Noe, quæ fuit typus Ecclesiæ, plura fuerint immunda quam munda animalia. Quibus
sanè

sanè argumentis adducti Gregorius Magnus, & ante eum Augustinus, interdum affirmant paucos in Ecclesia bonos esse comparatione malorum; vtentes & illâ Domini sententiâ, quâ interrogatus à quodam, An pauci sint qui saluantur, respondit: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt.* Et alibi; *Intrate per angustam portam; quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem; & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam; & pauci sunt qui inueniunt eam.* Tale & illud est toties à Domino repetitum, *Multi vocati; pauci vero electi.* Et quidem malorum numerum adeò præualere in Ecclesia, vt boni vix appareant, apostolico testimonio comprobari videtur, quo, de raritate bonorum conquerens, ait, *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Verùm si ad alias Ecclesiæ parabolas & similitudines in scriptura propositas, animum aduertamus; in diuersam inclinabimur sententiam. Etenim in agro bene culto, qualis est ecclesia, plus est tritici quàm zizaniorum; & plures in sagenam boni pisces colliguntur quàm mali; & plures in vite palmites sunt fructiferi, quàm infructiferi; & plura sunt in corpore membra viua & sana, quàm mortua & infirma; Denique in epulo nuptiali atque in tanto numero conuiuarum, vnus tantum

Luca 13.

Matt 7

tum

tum inuentus est dignus qui eijceretur, quod vestem non haberet nuptialem. Quare si ex huiusmodi comparationibus de numero bonorum & malorum statuendum aliquid est: plures esse in Ecclesia bonos quam malos fatendum erit. Nec verò satis propriè videbitur Ecclesiæ competere excellens illa sanctitatis nota, quam ei in symbolo asscribimus, credentes & confitentes sanctam esse Ecclesiam Catholicam; si plures in ea sint mali atque impuri, quam boni & sancti. Nec de moribus Ecclesiæ Catholicæ, sanctis vtique & probatis, librũ aduersus Manichæos edidisset beatus Augustinus, si malorũ hominum ac vitiorum multitudinem præ bonis in ea præualere existimasset. Porrò respicientibus nobis ad alias Ecclesię comparationes, & ex ijs argumentũ quærentibus; aut ęqualis bonorum ac malorũ numerus videbitur, aut planè dubius. Æqualis quidem, iuxta parabolam decem virginum, quarum quinque fuerunt fatuæ & quinque prudentes. Dubius verò, dum comparatur Ecclesia Christi cum ouili in quo hœdi cum ouibus stabulantur: aut cum domo, ciuitate, regno; in quibus modò bonorum excedit numerus, modò malorum. Cum autem constet non omnia quæ parabolicis narrationibus continentur, ad mysterium parabolâ significatum accommodanda esse, quemadmodum à Chrysostomo & alijs scri-

scripturæ interpretibus non vno loco est annotatum; facilè cuique est videre quàm parum firmæ sint coniecturæ, quæ de numero bonorum atque malorum in Ecclesia Christi, ex euangelicis parabolis desumuntur. Nam quæ à Christo Domino extra parabolam de paucitate bonorum atque electorum dicuntur; non ab eo dicta sunt, comparatione malorum qui in Ecclesia sunt, sed eorum qui in mundo; quorum certè numerum incomparabiliter maiorem esse, nemo dubitat orthodoxus. At de bonis & malis Ecclesiæ sinu comprehensis, & Ecclesiæ sacramenta percipientibus, vtri plures sint; satius fortasse fuerit sententiam suspendere, quàm aliquid definitè, quòd certò probare nequeam, pronunciare. Vnum tamen hoc non possum quin adijciam, plerumque contingere, vt qui ex peccati corruptione proni sumus ad iudicandum & malè suspicandum de proximis, quique pulchritudinem Ecclesiæ quæ ab intus est, non videmus; opinione ac suspicione nostra malorum numerum vltrà quàm par est, augeamus. Non est negandum multos esse bonos in Ecclesia, quamuis occultos: quia pulcritudo Ecclesiæ intùs est, in virtutibus scilicet, quæ in animo latent, & per humilitatem conseruantur ne pereant. Ex corruptela nostra fit vt multi putentur mali qui boni sunt. Nam etsi forte publicè aliquis peccauit,

cauit, imò etsi famam amisit: tamen per veram pœnitentiam forte iam filius Dei est, melior illo qui saluam habet famam, sed fortassis non saluam conscientiam. Forte hunc bona fama extollit in superbiam: illum infamia per humilitatem & pœnitentiam corrigit ad bonam vitam. Prior ille fortassis virtutum quodam splendore externo speciosus est coram hominibus: hic verâ & solidâ virtutum possessione locuples coram Deo & angelis eius. Itaque non est credendum tàm paucos esse bonos in Ecclesia, quàm multi existimant. Si enim Eliæ seruo Dei, dicenti, *Relictus sum ego*
3. Reg. 19. *solus*; responsum est à Domino; *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerũt genua ante Baal*: Et, si vir ille sanctissimus tantusque propheta tam grauiter opinione falsus fuit, vt se solum esse putaret verum Dei cultorem: quantò magis nos in huiusmodi re iudicanda falli continget? quantò etiam magis (vt ad caput redeat oratio) falluntur hæretici atque schismatici, odio Catholicæ Ecclesiæ excæcati, vt numerum malorum qui in Ecclesia sunt, supra numerum augeant? Nos autem Ecclesiæ Catholicæ filij; suadente charitate semper in partem benigniorem propensi, iudicium nostrum
1. Corinth. 4. suspendamus, *quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium*; quàm ante tempus certam de
re

re incerta sententiam proferamus. Et hæc satis de eo quod primo loco dicendum erat. Reliquas orationis partes, alio tempore, si Deus dederit, expediemus. Quanquam ex his quæ hactenus diximus de primo ex propositis capite, non difficile est iudicare de secūdo & tertio; nimirum non licere cuiquam ab Ecclesia recedere, quantacumque in ea appareat multitudo malorum; & esse horribile ac longè maximum scelus, si quis id faciat. Non enim aliam Ecclesiam nobis designant Scripturæ quàm quæ habeat semper malos bonis admistos. Gemere inter malos debemus; non propter malos nos à bonis separare: ne illis ipsis malis efficiamur peiores; quia grauissimum esse schismatis crimen inter omnia peccata quæ contra proximum suum homo committere potest, S. Thomas ostendit ex eo quod sit contra bonum spirituale multitudinis. 2. 2. q. 36. art. 2. ad 3. Et profecto horribiles pœnæ quibus Deus schismata quondam puniuit, magnitudinem sceleris loquuntur. Vide Numerorum c. 16. Item 4. Reg. 17. v. 21. in originali scriptura. Vide etiam S. Augustinum, potissimum in libris contra Donatistas; ac nominatim lib. 1. c. 8. Contra Parmen. lib. 1. c 4. & 7. Tract 27. in Ioan. & in libro de Patientia. Digna est lectu epistola Dionysij Alexandrini ad Nouatianum sancto Cornelio antipapam, quæ extat apud

Eusebium hist. lib. 6. c. 33. dignus lectu Irenæus lib. 4. c. 62. Adde Chrisost. homilia 11. in ep. ad Ephesios. Item S. Cyprianum epist. 65. aliàs lib. 3. ep. 9. & epist. 75. aliàs lib. 1. ep. 6.

Exempla sanctorum prophetarum, apostolorum, & aliorum idem nos docent; quia quamuis viderent vitia grauissima sacerdotum ac reliquorum ministrorum Dei & ecclesiæ, eaque sæpe ac multum reprehenderent, non tamen deseruerunt Ecclesiæ societatem.

Et necessariò quidem: quoniam extra ecclesiam non est salus. Qui deserunt, quibuscunque tandem peccatis veris aut fictis offensi, similes sunt ei, qui offensus moribus eorum quibuscum eâdem naui vehitur, seipsum conijcit in mare, quò ab illis separetur; & non potius patienter fert alienam improbitatem, quam non potest corrigere; Vel membro quod seipsum à corpore separaret propter morbum alterius membri; & non potius adlaboraret vt commembrum illud sanitati restituatur, aut insanabile abscindatur.

Anno 1599. 25. Octobr.

ORATIO



ORATIO VNDECIMA.

An nostri temporis hæretici peiores sint antiquis?



AVDIVISTIS, viri celeberrimi, disserentem baccalaureum nostrum candidatum, de fugiendis hæreticorum colloquijs & commercijs, deq; cautela adhibenda, siqua necessitas cogat cum eis conuersari. Vtilis oratio & nostris temporibus opportuna. Verùm ne quis sibi blandiatur, & cum periculo suo plus satis hoc in genere sibi indulgeat; operæpretium fuerit paulò propius atque penitius, ingenium & mores hæreticorum nostri temporis inspicere, vt ex ea re etiam

re etiam, periculum quod ab eorum congressibus & consuetudine fidelibus imminet, quantum & quale sit, intelligi possit. Huius rei gratiâ constitui tractare quæstioné, Vtrum nostræ ætatis hæretici, malitiâ superent omnes hæreticos superiorum temporum. Et quidem fortassis alicui videbor in sectarios & nouatores nostros nimium inflammatus, qui de ijs tam odiosam comparationem in medium proferam. Quis enim dubitauerit, inquiet aliquis, quin veterum hærticorum multi, multò fuerint neotericis nostris deteriores, perniciosiores, execrabiliores? Ac primò, Simonem magum nobis adducet, hæreticorum omnium primum & hæresiarcharum principem, eundemque, teste Ignatio martyre, diabolicæ sobolis primogenitum. Cuius tanta fuit impietas, si vetustis scriptoribus Irenæo, Eusebio, Epiphanio creditur, vt seipsum Deum faceret, & pro Deo colendum discipulis suis proponeret; dicens se esse Patrem & filium & Spiritum sanctum. Tanta vero impuritas, vt abominandas eius sectæ libidines & flagitiosa mysteria ab ijsdem authoribus prodita, nec legere nec audire sine horrore, Christianus pudor sustineat. Adducet etiam sequaces & successores eius, Menandrum, Basilidem, Valentinum, Carpocratem, & totá scholam Gnosticorum; quorum tam fædæ fuerunt & portentosæ turpitu-

pitudines, vt propter eam caussam Borboritæ, quasi cœnosi, fuerint appellati. Cum his autem tam impiæ & tam impuræ doctrinæ hominibus, nostræ ætatis sectarios, qui hæc omnia palam damnare & fugere se profitentur, comparare velle; dicet esse hominis impudentis, iniqui, & affectu præoccupati. Vrgebit nos & hoc argumento: Hæreses æstimandæ sunt ex obiectis. Quare quanto excellentius est obiectum circa quod hæresis versatur, tanto & ipsam deteriorem esse necesse est; velut quanto res melior quam quis odit, tanto ipsum odium peius esse constat. Vnde nemini dubium, quin longe peruersius sit odisse Deum quàm hominem. Atqui hæreses antiquæ, vt plurimum versatæ sunt vel in deprauanda natura diuinitatis, vel in oppugnando mysterio Trinitatis, vel in subuertendo Dominicæ incarnationis Sacramento; quæ prima sunt Christianæ fidei capita. Nam primorum quidem seculorum hæretici, Simoniani, Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi multa impia & fabulosa de Deo eiusque natura, commenti sunt. Qui verò proximè eos sunt secuti, Sabelliani, Ariani, Macedoniani, sacrosanctæ Trinitati bellum intulerunt. Posteriores autem vt Nestoriani, Eutychiani, Monothelitæ in Christum caput nostrum Deum & hominem, impetum fecerunt. Sed & horum affines Pelagiani, illud

M ipsum

ipsum Dominicæ dispensationis mysterium euacuare conati sunt, gratiam Christi negantes. Cæterùm nouellæ hęreses nihil tale; sed ea tantùm ratione damnabiles sunt, quòd de Ecclesia, de sacramentis, de iustificatione, de purgatorio defunctorum, cultuque sanctorum atque alijs huiusmodi, non rectè sapiant. Quæ omnia, non prima religionis nostræ capita sunt, sed eorum effecta quædam, velut obiecta fidei nostræ secundaria. Quare quantum hæc ab illis distant; tantum hęreses nouæ malitia & impietate superantur ab antiquis. Quòd si malitiam hęreticorum putemus æstimandam ex odio quo flagrant aduersus Ecclesiam Catholicam; dicet mihi hac in re facilè principes omnium fuisse Arianos, vt pote pertinacissimos & infestissimos Catholicorum persecutores; quorum furoris & crudelitatis exemplis plenæ sunt ecclesiasticæ historiæ Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Victoris Vticensis, & aliorum. Hęc, inquam, opponet mihi fortasse quispiam, ne in comparationem & certamen malitiæ, nostros sectarios ausim vocare cum hęreticis antiqui temporis. Verùm nihil agit: Veritas quærenda est, & in lucem proferenda. Primùm quidem, non est à nobis in quæstione positum, Vtrùm hęreses nouæ peiores sint antiquis; sed vtrùm hæretici. Esse autem nostræ tempestatis hęreticos antiquis peiores, videor mihi

mihi suadere posse non paucis nec inualidis argumentis; quorum hoc primum sit: Postea quàm semel in omnes gentes Ecclesia Christi propagata est; tanto magis & fides decrescit, & iniquitas atque malitia hominum accrescit, quanto magis appropinquat finis seculi. Christi voces sunt in euangelio; *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Et iterum: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Quæ si in vniuersum dicta de hominibus, appropinquante mundi consummatione, vera sunt; vtique consentaneum est ea maximè veritatem habere in eorum genere, qui fidem & Ecclesiam Christi deseruerunt, id est, in hæreticis: vt nimirum in eis impleatur quod de eis peculiariter dictum est ab apostolo, *Mali autem homines & seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes.* Non enim hoc tam de singulis seductoribus dictum est, quàm de vniuerso genere seductorum, id est hæreticorum; quod serie quadam errorum & errantium protenditur vsque ad finem mundi. Accedat aliud argumentum illi simile: Quò magis appropinquat aduentus Antichristi; eò magis ad eum recipiendum homines disponuntur ac præparantur. At verò præparantur maximè per hæreses & schismata, velut aptissimas dispositiones ad illam apostasiam Antichristi tempore futu-

Lucæ, 18.

Mat. 24.

2. Timot. 3.

ram, de qua Paulus apostolus in 2. epistola ad Thess. Igitur quanto magis illud tempus appropinquat, tanto magis & numero & malitia crescent illi qui per hæreses & schismata abstrahent homines ab Ecclesia Christi, vt eos Antichristo præparent. Quamuis enim omnibus hæreticis sit commune, quòd sint Antichristi præcursores (nam hoc epitheto passim à SS. Patribus ornantur); quodque viam sternant Antichristo venturo: magis tamen hæc encomia in eos competunt, qui principi suo Antichristo sunt viciniores, eiusque aduentum magis è propinquo prænunciant. Qua etiam ratione conuenit eos illi esse studijs ac moribus similiores. Eam rem nobis confirmat Ioannes apostolus in sua Apocalypsi:

Cap. 20. *Cùm*, inquit, *consummati fuerint mille anni; soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ. Et circuierunt castra Sanctorum & ciuitatem dilectam.* Hæc quidem Antichristi persecutio est. Sed quod ait: *Soluetur Satanas de carcere suo*, non est existimandum vno quopiam die aut anno peragendum simul ac semel: Paulatim enim id nunc agitur in ijs qui Antichristum præcurrunt, vt in ipsius aduentu peragatur. Iam igitur incipit solui Satanas, non ob aliud, quàm quia maiorem solito potestatem ad homines seducendos accipit. Atqui Satanicæ potestatis

iestatis instrumenta ad seducendos homines, sunt hæretici. Quare & ipsos ad eam rem, per fraudem & malitiam, magis quàm superiorum temporum hæreticos, aptatos esse oportet: vt nimirum potentius in ijs, velut instrumentis suis, operetur Satanas iam solutus. Huius autem rei etiam illud est argumentum, quod hodierni sectarij non vna aut altera hæresi contenti sunt; sed quas olim singuli hæretici aut inuenerunt aut sunt secuti, quasque iam olim in illis Ecclesia damnauit; isti colligunt in massam, additis etiam alijs quas ipsi nouas pepererunt. Quis enim est, obsecro, Lutheranorum, aut Caluinianorum, aut etiam Anabaptistarum, qui non cum Simone mago fidem prædicet sine operibus; cum Manichæo, liberum tollat arbitrium; cum Iouiniano, nuptias æquet virginitati; cum Vigilantio, martyrum sepulchris ac reliquijs insultet; cum Aërio, fidelium pro defunctis orationes exsibilet? Quis non penè omnes Albigensium, Fratricellorum, Wicleffitarum, Hussitarum errores ac hæreses, suas facit? vt de nouis Arianis, Sabellianis, Nestorianis, quia minus latè pullularunt, nihil dicam. Si ergo illi peiores ac pestilentiores sunt hæretici, qui plus pestilentis erroris collegerunt, quàm qui minus; sanè perspicuum est, nostros antiquis & peiores esse & pestilentiores. Sed iam sepositis argumentis

à scripturis & ratione petitis; ad experientiam veniamus, & ipsorum nostri temporis hæreticorum mores, ingenia, studia propiùs intueamur, ne forte calumniam se pati ex ratiunculis nostris, conquerantur. Multa quidem in hæreticis cuiuscunque ætatis vitia à Catholicis obseruata, & à scriptoribus annotata sunt; sed duo præcipuè in ijs eminent quæ velut proprietates quasdam & indiuiduas comites hæretica prauitas sibi vendicat. Ea sunt superbia & odium. Superbia, qua sibi supra modum placent, suamque gloriam impensissimè quærunt; alios verò præ se fastuosi contemnunt. Odium, quo homines Catholicæ vnitatis prosequuntur. Vtrumque diabolicum vitium. De superbia hæreticorum nostri seculi, hoc solum dicam, in duobus eorum antesignanis & coryphæis, Martino Luthero, & Ioanne Caluino tantam fuisse, vt etiam amicis & socijs suæ hæreseos, fuerint intolerabiles. Testes eius rei, qui gesta eorum scripserunt. Verùm longè certiores superbiæ & arrogantiæ eorum testes sunt libri ab ipsis scripti & editi: quos qui legerit, non mirabitur, si dixero duobus illis Luthero & Caluino nullum vnquam hæresiarcham omnibus retro sæculis arrogantiorem fuisse. Tantus passim in eorum libris fastus, tanta philautia, tantus aliorum contemptus etiam excellentium Ecclesiæ doctorum, vt vix

ab

ab apostolis ipsis temperent; certè non inferiores seipsos agnoscant. *Posuerunt enim in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Psal. 72.
Audite quid de se Lutherus scribat in libro ad ducem Georgium: *A tempore apostolorum,* inquit, *nullus doctor aut scriptor, nullus Theologus aut Iurisconsultus tam insigniter & clarè conscientias secularium statuum confirmauit, instruxit, ac consolatus est, sicut ego feci. Per singularem Dei gratiam hoc certò scio, quoniam neque Augustinus, neque Ambrosius, qui tamen in hac re optimi sunt, mihi in hoc æquales sunt.* Audite & Caluini verbum vnum ex multis; lib. 3. institutionis cap. 5. sic ait: *Ante mille & trecentos annos vsu receptum fuit, vt precationes fierent pro defunctis; Sed veteres omnes, fateor, in errorem abrepti sunt.* Ecce vobis arrogantiam istorum duorum, qua suam sententiam & doctrinam vel præponere audent, vel opponere toti Sanctorum Patrum antiquitati. Et dubitamus adhuc, quin totam suorum Patrum, id est, hæreticorum veterum arrogantiam fastu & superbia superent? Quales autem magistri, tales & discipuli; vt meritò in totam sobolem ab illis propagatam hoc superbiæ crimen conferamus. Restat vt de odio fraterno dicamus; quo vtique laborare se, imò flagrare & æstuare, apertissimè declarant verbis, scriptis, & factis. Nam quod ad verba spectat, vt priuatos eorum sermones passim ad-

aduersus Ecclesiam virulentiæ plenos, taceam; quid aliud sunt eorum conciones, quàm maledicendi quædam exercitamenta, quibus conuicia & probra plenis buccis euomunt in filios Ecclesiæ Catholicæ, potissimum in sacerdotes & monachos, atque in dogmata Catholicæ religionis? vt verissimè quadrent in eos illa scripturæ verba; *Sepulchrum patens est guttur eorum. Venenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.* Nec secus de scriptis eorum sentiendum. Nam plerique eorum libri, quid aliud sunt quàm inuectiuæ & insectationes plusquam Satyricæ, quibus vel sanctissima Ecclesiæ instituta lacerant, vel personas exagitant? Quibus si detrahas spiritum blasphemiæ & maledicentiæ; profectò inuenientur admodum tenuia, ieiuna, & languida, ac penè mortua. Iam dicat mihi quispiam, an veterum hereticorum aliquis aut linguam aut calamum habuerit dicendis aut scribendis in Catholicos contumelijs & maledictis æquè exercitatum? Quòd si fortè vel vnum inueniat; illud tamen hæreticis nostræ tempestatis peculiare ac proprium relinqui necesse est, quòd vsque adeò in cælum ponant os suum, vt Christi Domini nostri vicarium, non vereantur Antichristum appellare. Hoc enim primus fecit Mart. Lutherus; & in hoc, eum vt ducem & principem, omnes

Rom. 3.

here-

heretici deinceps exorti, strenuè imitantur. Nam Ioannes quidem Wicleffus & Ioannes Hus, ex quibus maximam pestiferæ suæ doctrinæ partem Lutherus hausit, cùm in clerum & Pontificem Romanũ multa & acerba congesserint maledicta; non tamen eò progredi sunt ausi, vt Romanum Pontificem dicerent esse Antichristum, illum scilicet hominem peccati, quem Paulus describit. Quod quidem patet ex articulo Ioannis Hus 19. inter eos quos concilium Constantiense damnauit: In quo dicitur quod per censuras excommunicationis, suspensionis & interdicti, clerus viam preparat Antichristo. Nam si viam Antichristo venturo adhuc preparat clerus Rom. vt ille dicit; igitur, ex eius sententia, nondum Antichristus aduenit. At Lutherus hac in parte, vt in multis alijs, magistros suos superans, non solum id dixit & scripsit; verùm, etiam discipulis suis, & in vniuersum omnibus huius seculi sectarijs adeò persuasit, vt nihil apud eos magis vulgatum magisque decantatum sit, quàm Romanum Pontificem esse Antichristum. Quæ contumelia, cùm in Christum Dominum recidat, qui primarium est Ecclesiæ caput, & cuius ille vicarium munus in terris gerit; ęstimet nunc vnusquisque apud se, quanto Lutherani cęterique sectarij nostri peiores sint patribus ac maioribus suis, quibus tanta blas-

blasphemia nunquam legitur excidisse. Et quidem minora sunt hæc quæ dixi, si cum factis eorum sæuis ac sanguinarijs conferantur, quæ illi odio fraterno repleti in Catholicos, sicubi potentiores euaserint, designauerunt. Nam vbi, quæso, non extant sęuitiæ & crudelitatis eorum exempla. Testes sunt Anglia, Gallia, Flandria, Hollandia vim odij Caluiniani toties & tam grauiter expertę. Testes, noui martyres; eorum manibus crudelissimè interempti, tanta vbique multitudine, vt eorum numerum inire adhuc nemo potuerit. Certè Anglia & Hollandia, non decimam partem, fortè nec centesimam passa est persecutionis & cædium, omnibus retro sæculis, ab hęreticis simul & paganis, quas hoc seculo, intra paucos annos, vel à solis hęreticis sustinuit: vt profectò cum hodiernis hæreticis antiqui illi si comparentur; longè se superatos facilè agnoscant. Ex quibus omnibus iam satis opinor constare, quàm neque paradoxon sit, neque temerarium, sed ipsa veritate subnixum, si dixero nostrorum temporum hæreticos, ijs potissimum vicijs, quæ sunt hęreticorum propria, id est superbia & odio, ita cum suis maioribus certare, vt non modò eos adęquent, verùm etiam non paruo interuallo post se relinquant. Possem eandem rem confirmare ex Apoc. cap. 9. vbi quinta tuba canente, sub nomine stellæ de cęlo

lapsæ

lapsæ in terram, item locustarum de fumo putei abyssi in terram exeuntium, Lutherus & tota hæreticorum factio eum subsecuta, talis nobis depingitur, vt quæ singularis & eximiæ ad nocendum maliciæ, facinora & exempla, præ omnibus quos tubæ superiores insonuerant, editura sit. Verùm obscurioribus insistere nolo; vbi manifestiora quæ protulimus argumenta satis abundèque sufficiunt. Restat, vt breuissimè diluamus ea quæ in diuersam quæstionis partem adferebantur. Simonem quidem magum fuisse insigniter malum atque superbum, non nego: Sed ille vnus fuit homo; Hîc verò non de persona vna aut altera quæstio est, sed de vniuerso genere hęreticorum nostri sęculi, collato cum generibus veterum hęreticorum. Adde quòd Simon quando se Deum fecit, & pro Deo coli voluit; non iam hęreticus erat, sed in apostatam profecerat. Nam hęreticus definitur qui sub titulo ac professione nominis Christiani, dogmata serit fidei Christianæ repugnantia. At qui semetipsum Deum facit aut Christum, non vtique se Christianum profitetur, id est, Christi discipulum, sed illi palam aduersatur; naturam & honorem eius ad se rapiens; quemadmodum facturus est Antichristus. Sed nec secunda obiectio mouere nos debet. Sciunt enim Theologi peccata spiritualia, cuiusmodi sunt superbia,

inuidia, odiumque fraternum, suo genere peiora esse carnalibus. Iam autem ostendimus nostros sectarios spiritualibus vitijs excellere. Peiores ergo sunt Gnosticis, in quibus carnalia vitia notabantur. Porrò de tertia obiectione, iam antè dixi, non hîc à nobis quæri, vtrùm hęreses nouæ deteriores sint antiquis; sed vtrùm hęretici. Nam hæreticorum malitia è multis alijs ęstimanda venit, quàm ex solo suæ peruersæ opinionis obiecto. Et tamen, si multitudinem ac numerum prauorum dogmatum consideremus; etiam hac parte procul dubio, sicut demonstrauimus, veteres hęreticos neoterici multis, vt ita dicam, parasangis antecurrunt. Illud denique quod de Arianorum persecutionibus in historia celebratis, vltimo loco adferebatur; probat quidem nostros in Arianis habere præclara quædam exempla crudelitatis quæ imitentur; non tamen subuertit eam comparationem, qua illos à nostris superatos in hoc genere docuimus. Nam Ariani quidem paucis in locis talia fecerunt, ac seculis diuersis: At nostri multa longè deteriora, locis innumeris, atque in diuersis prouincijs, vno ferè eodemque tempore, immanissimè perpetrarunt. Igitur, vt concludam, ea sit, auditores, orationis nostræ vtilitas, vt cum hęreticorum nostri temporis tanta sit peruersitas, & ad nocendum malitia, quanta non fuit aliorum qui supe-

superioribus seculis eos præcesserunt; intelligamus, quantoperè & consuetudo eorum & doctrina, ex qua tam tetri nascuntur fructus, fugienda nobis sit, quantóque studio cauendum ne eorum aut argumentis persuasi, aut blanditijs deliniti: (*nam facies eorum tanquam facies hominum, & capillos habent sicut capillos mulierum*, ait Ioannes in Apocalypsi) Cap. 9. Catholicam Ecclesiam deseramus vnquam; sed vt in ea, per fidem & charitatem firmiter radicati & fundati, perpetuò maneamus.

Anno 1602. 4. Decemb.



ORATIO

ORATIO DVODECIMA.

An Christus postquam in cælum ascendit, aliquando in proprio corpore cuiquam apparuerit in terris.



EMPVS nunc agitur, auditores, inter resurrectionē Dominicam & ascensionē medium, quo nimirum B. Luca testante Christus Dominus apostolis suis prębuit seipsum viuum post passionem suam, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Non enim illi dies otioso transiêre decursu; sed, vt ait Leo Pontifex, magna

in eis confirmata ſacramenta, magna ſunt reuelata myſteria. In ijs metus diræ mortis ablatus eſt, & non ſolùm animæ ſed etiam carnis immortalitas declarata: In ijs, per inſufflationem Domini infuſus eſt apoſtolis omnibus ſpiritusſanctus: & B. apoſtolo Petro ſupra cęteros, poſt regni claues, ouilis dominici cura mandata. Qua in re, vt ſingula præteream, illud in vniuerſum diſcimus, per illos dies nullam Chriſti apparitionem factam eſſe, quæ non cum magna & publica vtilitate Eccleſiæ eſſet coniuncta. Tota enim in apoſtolis inſtruebatur Eccleſia; tota poteſtatem, doctrinam, conſolationem accipiebat; quatenus ſcilicet illa omnia toti Eccleſiæ ad ſalutem erant profutura. Sed quorſum hæc? Vt de Chriſti Domini apparitionibus nequaquam humiliter ſentiamus: ne temerè fidem accommodemus narratiunculis quibus dicitur: Huic apparuit Chriſtus, & illi apparuit. Num tu igitur, inquies, quicquid huiuſmodi fertur, explodis ac reijcis, aut in dubium vocas? Vt ad hoc reſpondeam, pono in quæſtione. *An Chriſtus poſtquam in cælum aſcendit, aliquando cuiquam apparuerit in terris.* De ea loquor apparitione, quæ non eſt per ſomnum aut ecſtaſim, neç per imaginem aut ſimilitudinem ſenſibus obiectam, ſed qua in proprio corpore conſpiciendum ſeſe oculis humanis Chriſtus exhibuerit; quomodo conſpe-

spectus est post resurrectionem oculis suorum discipulorum. Nec illud, in terris, ita accipi volo, vt ad videntem tantum referatur; sed etiam ad apparentem Christum. Quare ad disputationem præsentem non pertinet illa beati Stephani protomartyris visio, qua ipse quidem in terra positus, sed Christum in cælo constitutum oculis suis conspexit, quum ait: *Ecce*
Act. 7. *video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Primum igitur videamus, quid pro parte negante quæstionis propositæ, possit adferri. Id quidem vel vnum, vel præcipuum hoc est; Christum Dominum, quadragesimo post resurrectionem suam die, in cælum ascendisse, & consedisse ad dexteram Patris; nec prius inde descensurum, quàm veniat iudicaturus viuos & mortuos. Quod demum futurum est in consummatione seculi. Non igitur, ante illud tempus, vlla Christi in terris apparitio corporalis cuiquam hominũ facta est; ac proinde quicquid tale factum narratur aut scribitur, reijciendum. Quod sumitur, non prius inde descensurus, quàm veniat ad iudicium (nam de eo solo dubitare quispiam posset); ex scripturis manifestum videtur, idque non qualicunque sed angelico testimonio. Cùm enim apostoli Christum in cælum ascendentem intuerentur, Actorum 1. *Ecce duo viri*, haud dubium quin angeli, *astiterunt iuxta illos in vestibus albis,*

albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Sic veniet; vtique in fine seculi, ad exercendum iudicium. Tanquam diceret; Non est quod aspiciatis in cælum, quasi inde huc ad vos rediturus sit Iesus. Frustra est illa vestra exspectatio. Quò iam ascendit, ibi mansurus est, nec inde reuersurus donec ad iudicium veniat. Quo sermone angelico persuasi apostoli, mox, vt scriptura testatur, reuersi sunt Ierosolymam. Non minus aperta probatio est ex eiusdem libri capite 3. vbi Petrus apostolus sic ad Iudæos de Christo: *Quem oportet quidem cælum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium.* Hoc quid aliud est, quàm oportere, id est, diuinitus esse decretum, & à prophetis prænunciatum, vt Christus in cælum receptus illic maneat vsque ad illud tempus, quo fiet omnium restitutio? Quæ periphrasis est extremi iudicij. Tertius accedat, Paulus apostolus, qui Colossenses suos exhortatur his verbis, paschali hoc tempore in officio diuino sæpè repetitis: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite.* Quibus sanè verbis non tantùm præcipit vt diuina ac cælestia quærant & sapiant, & totam spem suam ad illam cælestem patriam ex- Coloss. 3.

tendant; verùm etiam sine dubio locum significat in cælestibus corporalem, in quo Christus secundum naturam assumptam atque in proprio corpore resideat gloriosus. Quare fatendum est, eum continuò & absque vlla temporis interruptione, ex quo semel in cælum ascendit, vsque ad eum diem & horam, qua fiet quod ab angelis prædictum audiuistis; quodque idem apostolus ait ad Philippenses 3. *Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum*; in cælo esse & permanere. Quod & Augustinus in quodam loco testatur, citante Gratiano De consecratione dist. 2 cap. Prima: *Donec sæculum finiatur*, inquit, *sursum est Dominus*. Certè nisi Christus in cælestibus continuò resideret: aliquando falsò diceretur ab Ecclesia, *Vbi Christus est in dextera Dei sedens*. Falleretur aliquando quum Christum adorat & inuocat existentem in cælis. Hoc enim facit & fecit ex eo tempore, quo nouit eum in cælum ascendisse: sursum corda, sursũ oculos, sursum manus tendens ad Christum. Et quis est fidelium qui si interrogatus fuerit, vbi nunc sit Christus, dubitet respondere; Dominus noster Iesus Christus est in cælo? Rationẽ postulatus, symbolum fidei allegabit, in quo recitat de Christo: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos*. Id enim sic se intelligere, quasi

dictum

Phil. 3.

Tract. 30. in Ioan. sed Grat. male verba distinguit

dictum sit; Illuc ascendit; illic sedet donec veniat; Atque ita se in Ecclesia didicisse. Vnde quidam nostræ ætatis celeberrimus scriptor, quum in soluendo quodam Ioannis Caluini argumento versaretur; velut ex ore Catholicorum, respondens: *Nos*, inquit, *fatemur Christum quoad naturam humanam ascendisse in cælum; ibiq́ nunc esse, & futurum vsque ad diem iudicij, neque ante descensurum.* Sic ille. His igitur testimonijs satis roborata videtur assumptio propositi argumenti, qua dicebatur Christum non prius è cælo quò ascendit descensurum, quàm veniat cum potestate magna & maiestate viuos & mortuos iudicaturus. Sed video desiderari vt eiusdem argumenti consequentia probetur. Nam si dicam fieri non posse vt idem corpus simul in diuersis sit locis; meritò mihi respondebitur; naturaliter non posse, sed diuina virtute quò minùs id fiat nihil obstare. Id enim confitemur omnes Catholici, atque hoc modo respondemus hæreticis sacramentarijs, dum simili argumentatione realem & corporalem Christi in Eucharistiæ sacramento præsentiam, nobis subtrahere conantur. Proinde firmior adhibenda est probatio. Hanc verò suppeditat angelicus doctor Aquinas, quum docet non posse vnum idemque corpus ne quidem diuina virtute constitui localiter in pluribus locis; sed sacramentaliter

Bellar. lib. 1. de sacramento Euchar. ca 14.

Vide Dom. Soto in dist. 10. q. 1. ar. 5.

liter tantùm. Tradit eam doctrinam in quodlibetis & in 4. sent. & in 3. parte suæ summæ: Atque hac ratione probat, Quoniam contradictio sequetur, si corpus aliquod idem numero ponatur esse localiter, siue, vt ille loquitur, circumscriptiuè in pluribus locis. Id quomodo demonstret, apud ipsum videre est. Huiusmodi namque subtilitatum pertractatio huic nostrę non conuenit orationi. Si igitur S. Doctoris permagna est, vt esse debet apud omnes authoritas, in eo præsertim argumento de quo audiuit à Christo; *Bene scripsisti de me Thoma*: fatendum erit Christum posteaquam in cęlum ascendit, nunquam cuiquam in terris corporaliter apparuisse; ne, quod tantus doctor fieri posse negat, idem corpus simul plures ac diuersos locos occupet; cęlestem videlicet, à quo non recedit, & terrestem siue aëreũ in quo poneretur apparere. Non enim de modo sacramentali nunc agitur, sed de locali; secundum quem fiunt apparitiones rerum corporaliter præsentium. Hæc sunt, auditores, quæ pro parte negante quæstionis initio propositę, produci poterant: non ea tamen tanti ponderis, vt alteri parti præiudicium facere queant. Ad eam igitur suis argumentis astruendam accingamur. Iam suprà dixi, de ea Christi Domini apparitione quæstionem institutam esse, qua seipsum in proprio corpore conspiciendum

ciendum

ciendum humanis oculis exhibuerit : non de ea qua visus sit per somnium, aut ecstasin, aut per similitudinem aliquam corpoream oculis obiectam. Non igitur huc pertinent apparitiones quas legimus factas aut Petro apostolo, quando vidit aperto cęlo vas quoddam submitti in quo erat omne genus animalium ; quando & ei dictum est à Domino: *Surge Petre, occide & manduca*. Aut Paulo, quando astitit ei Dominus nunc Ierosolymis, nunc Romę, confortans eum & animans ad constantiam. Aut Ioanni apostolo, quando vidit similé filio hominis, vestitū podêre, & reuelantem mysteria quæ scriberet. Multo minùs ad rem præsentem facit illa seu visio, seu reuelatio facta Paulo apostolo, quando, sicut ipse commemorat, *raptus est vsque ad tertium cælum, & in paradisum, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Primùm quia non ibi Christum vidisse se dicit. Deinde quia non quid in terra viderit vel audiuerit, refert ; sed quid in cælo, & in paradiso. Postremò nec ipse audet affirmare, vtrùm id passus sit in corpore existens, an extra corpus. His ergo remotis, illa vel inprimis ad institutum nostrum pertinet apparitio qua eidem Paulo apostolo Christus Dominus apparuit, nondum Paulo, sed adhuc Saulo ; nondum apostolo, sed aduersario ; quando ille in ipso persecutionis feruore Damascum petens,

Actor. 10. Actor. 23. 2. Timot 4. Apoc, 1.

vt Christi fideles vinctos & perdendos perduceret in Ierusalem; repente prostratus in terram, audiuit vocem dicentem sibi; *Saule, Saule quid me persequeris?* Quo dicente, *Quis es Domine?* Dominus respondit; *Ego sum Iesus, quem tu persequeris* Et iterũ interroganti, *Domine quid me vis facere?* Respondit, *Surge, & ingredere ciuitatem*, &c. Act. 9. Sed vt hoc exemplo rem propositam doceamus; tria probanda sunt: Paulum vidisse Christum; quod in verbis memoratis non habetur: & vt viderit, eam visionem non imaginariam aut similitudinariam fuisse, quomodo aliàs Christum illi apparuisse iam diximus, sed qua ipsum hominem Christum oculis suis corporeis aspiceret. Ac tertiò, Christum in terris a Paulo conspectum esse. Horum primum nullo negotio probatur. Quod enim eo loco tacuit scriptura, alibi expressit. Nam eodem capite Ananias, ad quem missus erat Paulus catechizandus, sic eum alloquitur: *Saule frater Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi*; Græcè, *visus est tibi, in via qua veniebas.* Et rursus capite 22. *Deus praeordinauit te vt videres Iustum, & audires vocem ex ore eius.* Barnabas quoque de eo narrat apostolis, quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei. Act. 9. Sed & Dominus Saulum prostratum, sic allocutus est; *Ad hoc apparui tibi*, Græcè *visus sum tibi, vt constituam te ministrum*

&

& testem eorum quæ vidisti. Refert hoc ipse Paulus coram Agrippa rege, vocatque cælestem visionem. Act. 26. Nec aliò referendum quod scribit 1. Corinth 9. *Nonne Christum Iesum Dominum nostrũ vidi?* Et c. 15. *Nouissimè omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi.* Vt sanè mirum sit Caietanum hanc visionem, cuius ad Corinthios meminit Paulus, aliò detorquere, quasi tunc non viderit, quando audiuit; *Quid me persequeris?* Ita vir doctus cæcutit in re manifesta. De altero quod probandum erat, obloquitur Caluinus. Nam historiam Act. 9. ita tractat quasi Saulus Christum non in propria persona viderit, sed in specie aliqua Christum repræsentante; nec vocem audierit ipso Christi ore prolatam, sed diuinitus factam in aëre; qualis fuit vox Dei Patris super Christum baptizatum, & in monte trãsfiguratum. Sed ad hoc commentum refellendum, si non sufficiant tam aperta scripturæ verba quibus dicitur Paulus vidisse Dominum, & locutus ei fuisse, & audisse vocem ex ore eius; eo saltem argumento planè reuincitur, quia constat hanc apparitionem Paulo propterea factam esse, vt tanquam oculatus testis resurrectionis Dominicæ, pari iure & authoritate cum cæteris apostolis qui Christum in carne viderant, eius euangelium gentibus annunciaret. *Ad hoc*, inquit, *apparui tibi, vt constituam te ministrum &*

testem eorum quæ vidisti. Atque id omnino volũt ea quæ scribit ad Corinthios; Dicens enim; *Nonne Dominum nostrum vidi* ? cum alijs apostolis se comparat, vt qui non minùs quàm illi Dominum in carne viderit. Cùm autem dicit omnium nouissimè sibi visum esse Christum; vtique testibus oculatis resurrectionis Christi sese annumerat; quales erant Petrus, Iacobus & alij discipuli, quibus post resurrectionem suam Dominus apparuit. Ideò verò se illis annumerat, vt & suo ipsius testimonio veritatem resurrectionis cõprobet. Quæ probatio nulla esset, si non eodem modo quo cæteri, Dominum vidisset: vt optimè ratiocinatur S. Thomas parte 3. suæ summæ. Tandem agnouit hoc etiam Caluinus, ipsa luce veritatis conuictus; Itaque confugit ad illud destruendum quod nobis tertio loco probandum erat. Dicit enim in suis institutionibus, Paulum vidisse quidem & audiuisse Christum ipsum, sed in cælo existentem; ita scilicet vt diuino quodam miraculo oculi & aures Pauli cælos penetrarent. Sed quid ais Caluine? Nuper in eodem opere, Sanctorum inuocationem, sanè quàm petulanter exagitabas, huiusmodi verbis: *Quis eousque longas esse illis aures reuelauit, quæ ad voces nostras porrigantur? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris aduigilent.* Nunc verò, an non vides te Paulo tam longas aures dare, & oculos

q. 17. ar. 6. ad 3.

oculos tam perſpicaces, vt in cælum vſque penetrent, quibus & videat Chriſtum & audiat. Sed hoc ad hominem. Cæterùm res ipſa doceatur. Lux tanta Paulum circumfulſit, vt eum planè excœcauerit: Deinde non ipſe ſolus ſed & comites eius, quamuis minus perfectè, & lumen viderunt & ſonum vocis audierunt. Tum illę mutuæ interrogationes, & reſponſiones; *Quid me perſequeris? Quis es Domine? Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Quid me vis facere? Surge & vade, &c.* ac plura quæ alibi referuntur: an non hæc omnia ſatis arguunt, & lucem corporis Dominici in aëre proximo fuiſſe, & allocutionem mutuam cominus factam, vbi Chriſtus in aëre conſtitutus Paulo vicinus eſſet, & quidem vicinior quàm alijs? Quòd ſi Paulus Chriſtum in cælo tantùm vidiſſet; non adeò certè fuiſſet idoneus reſurrectionis Dominicæ teſtis. Nam facile potuiſſent homines reijcere eius teſtimonium, ac dicere vel deceptum eſſe videndo ob tam immenſam loci diſtantiam, vel ſola vidiſſe imaginatione. At dices: Scriptura teſtatur lucem illam fulſiſſe de cælo: Et Paulus ipſe cæleſtem viſionem vocat, *Non fui*, inquit, *incredulus cæleſti viſioni*. Sic etiam interdum Auguſtinus: *Caput de cælo clamat, Quid me perſequeris?* Breuiter reſpondeo, tritiſſimum eſſe in ſcripturis vt cælum pro aëre qui ſupra nos eſt, accipiatur, etiamſi ſit valde pro-

propinquus. Vnde legimus pluuiam cæli, & volucres cæli, & multa talia. Quamquam quod ex Augustino adfertur etiam sic intelligi potest, caput de cælo clamasse; quia Christus qui clamabat reuera in cælo erat; nec ideo tamen non in aëre vicino, vt paulò pòst declarabo. Atque hæc satis de Christi apparitione post eius ascensionem Paulo facta. Sed nunquid in hac re Petrus coapostolo suo Paulo inferior? Refert Ambrosius in oratione contra Auxentium, B. Petrum quum ab infidelibus qui Romæ erant ad necem quæreretur; a Christianis rogatum, vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret; quamuis esset cupidus passionis, ex vrbe egredi cœpisse. Tum vidisse sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi; & dixisse: *Domine quò venis?* Christumque ei respondisse, *Venio iterum crucifigi.* Quo responso accepto, Petrum mox sponte in vrbem remeasse, vt qui intelligeret hoc domini responsum ad se pertinere. Referunt hoc idem & alij graues authores. Ac fortassis illud est quod Petrus in secũda sua epistola scribit, à Christo Domino sibi significatum velocem esse depositionem tabernaculi sui. Nihil enim vetat quo minus hæc epistola scripta sit a Petro statim post illam Christi apparitionem, priusquam iussu Neronis comprehenderetur, affigendus cruci. Arbitror autem

&

& in hac Christi apparitione, magnæ cuiusdā rei mysterium significatum esse. Sicut enim Paulo propterea Christus apparuit, vt eius apostolatui adderet authoritatem, & sic eiusdem testimonio suæ resurrectionis veritatem confirmaret: ita æquum est existimare Christum propterea Petro, quum Roma discedere vellet, apparuisse, ac ne discederet, admonuisse; vt ostenderet vrbem Romam diuinitus electam, in qua, Petri cathedra fundaretur, ac totius Ecclesiæ principatus stabiliretur. Quæ res profectò non perinde fidem obtinuisset, si Petrus extra Romam mortuus fuisset. Cùm autem apparitio quæ Paulo facta est, non per imaginationem aut similitudinem aliquam, sed in propria Christi persona, contigerit; non est quod de apparitione quæ Petro contigit, diuersum sentiamus; ne plus aliquid apostolo Paulo, quàm apostolorum principi Petro concessisse, Christus videatur. Iam hæ duæ tam insignes apparitiones sufficere possent & fortasse sufficiunt: Libet tamen & alias aliquot attexere. Narrat Marcellinus Comes in Chronicis Monaxio & Plinta coss. decem scilicet annis ante mortem B. Augustini, Dominum nostrum Iesum Christum in nube apparuisse supra montem Oliueti: atque inde multas vicinarum gentium nationes, tam visu quàm auditu perterritas, atque in Christum credentes,

sacra

sacro fonte ablutas fuisse, omniumque baptizatorum tunicis crucem Saluatoris impressam refulsisse. Et, vt multa strictim percurram, legitur idem Christus Dominus apparuisse B. Carpo, apud Dionysium in epistola ad Demophilum: B. Antonio, apud Athanasium in eius vita. Victori cuidam, apud Paulinum in epistola ad Macarium. Iosepho cuidam, apud Epiphanium in hæresi 30. S. Martyrio, apud Gregorium hom. 39. super Euangelia. Alij cuidam viro sancto peregrinorum susceptori, in homil. 23. eiusdem operis. S. Tharsillæ, apud eundem Gregorium lib. 4. dial. Ipsi sancto Gregorio, apud Ioannem diaconum vitæ eius scriptorem. Et quis cætera enumeret, quæ de huiusmodi apparitionibus feruntur; vt quæ S. Brigittæ, S. Catharinæ Senensi, alijsque sanctis factæ sint? Equidem de his omnibus aut plærisque facile mihi persuasero, partim eas sola imaginatione completas esse, partim exteriorum sensuum immutatione factas, partim accidisse in corporibus, angelorum ministerio formatis; denique nonnullas incertæ esse narrationis; vt hic vel maximè locum habere debeat illud apostoli; *Spiritum nolite exstinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia probate; quod bonum est tenete.* Porro siqua verè corporalis apparitio personæ Christi, duabus illis precipuis adiungenda foret; non aliam malim quàm

de

de qua meminerunt authores non contemnendi, ſcilicet eam qua Chriſtus, dilectiſſimæ matri ſuæ virgini Mariæ tunc apparuit, quādo ad eam ex hoc ſęculo migraturā venit, animam illius ſanctiſſimā aſſumpturus in cælum & ſupra choros angelorum exaltaturus. Hoc enim ſentire & pietati congruum eſt, & ſanæ doctrinæ nulla ex parte diſſentaneum. Verùm vtcumque ea res ſe habeat (neque enim animus eſt affirmare quod certa authoritate probare non poſſum): ex illis tamē apoſtolicis, & maximè ex apparitione Paulina, colligo & concludo reſponſionem indubitatam; Chriſtum, poſteaquàm in cælum aſcendit, aliquando ſecundum veram ac viſibilem ſui corporis ſubſtantiam in terris apparuiſſe. Tantùm supereſt vt argumento in contrarium allato ſatisfaciā. Id quidam ita commodè ſe facere putant, ſi dicant nihil eſſe abſurdi, Chriſtum interdum ad horam ſupernum illum gloriæ ſuæ locum relinquere, & pro ſalute ſeu conſolatione ſuorum electorum in terris agentium, ad eos deſcendere; continuò pòſt in habitationem cæleſtem recipiendū. Ita ſentit S. Thomas parte 3. q.57.ar.6 Dicit enim dignitati manſionis cęleſtis quam Chriſtus habet in cælo, non derogare, ſi ex aliqua diſpenſatione quandoque corporaliter ad terram deſcendat, vt ſe alicui ſpecialiter oſtendat; ſicut Paulo. Nec ſanè aliter

ter ille respondere potuit; vt cuius sententia sit, nulla virtute posse idem corpus localiter in diuersis locis constitui. Doctori suo consentit cõmentator eius Bartholomæus Medina. Astipulantur Ioannes Hesselius in explicatione resurrectionis Dominicæ, & Alfonsus Mendoza in controuersijs Theologicis, & alij nonnulli qui S. Doctoris vestigijs pressius insistunt. Verùm, quia satis ex scripturis, atque ipsa ratione, & quodam fidelium consensu, dudum à nobis probatum est, Christum Dominum quem Pater ad dexteram suam collocauit in cęlestibus, non ante extremum iudicij diem inde descensurum; quando etiam cum eo venturi sunt omnes angeli eius; ea nobis argumenti propositi solutio potius eligenda est qua propositæ obiectionis consequentia negatur. Libenter enim fatemur cum plerisque Theologis, quando illæ Christi apparitiones quas retulimus & probauimus, factæ sunt, Christum in diuersis locis simul localiter exstitisse: idque eò fatemur propensius, quòd hęc sententia plurimum adiuuet Catholicam nostram fidem qua credimus in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, Christum verè, realiter, & corporaliter esse præsentem. Nam si localiter, idest, secundum extensionem quantitatis, ostenditur aliquando simul fuisse in pluribus locis; quãto magis id fieri potest sacramentaliter, hoc est,

per

per modum substantiæ, non quantitatis? Itaque veniam dabit S. Doctor, si, quem in præcipuis veneror, hac in parte ab eo recedam. Non enim id facio temerè, sed magna ratione coactus: nec solus, sed cum multis alijs; nec his quibuscunque, sed doctissimis, inter quos numero Dominicum à Soto dogmatum sancti Thomæ grauem alioqui & strenuum propugnatorem. Vt igitur finem dicendi faciam, auditores, eum fructum habeat hæc disputatio, vt aduersarij oculos suos aperiant, & Dei potentiam ingenij sui terminis non circumscribant, ne pergant à nobis illud audire, quod à Christo Sadducæi: *Erratis, nescientes scripturas neque virtutem Dei.* Catholici verò, in eo quod credunt, vt tenacius credant, confirmentur; nec ab eo quod in Ecclesia Christi didicerunt, vllis hæreticorum argutijs (quas omnes fidei fundamento innixa vera Theologia facilè dispellit) abduci se patiantur: illo per gratiam suam præstante, qui est in secula benedictus.

Anno 1605. 10. Maij.

ORATIO DECIMA-TERTIA.

Vtrùm ſiccarum miſſarum vſus iuſta ratione ſublatus ſit per ſynodos epiſcopales.



VAM ad vos, auditores ornatiſſimi, habiturus ſum orationem, ordiri libet ab illo pſalmi verſiculo; *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Dixit hoc ille, & dicere potuit, qui ſingulari zelo pietatis accenſus, in ſuis cogitationibus & conſilijs ab initio ſui regni nihil Pſal. 25.

prius

prius habuit, quàm vt ea quæ ad decorem domus Dei pertinent, promoueret. Vix enim inauguratus regno, congregatis omnibus electis ex Israël, arcam Domini summa celebritate adduxit in ciuitatem regiam. Quod quidem fecit tãta animi deuotione, vt accinctus ephod lineo totis viribus ante arcam saltaret ac luderet: regiæ suæ dignitatis (si carnali sensu loquendum sit) oblitus ac negligens; adeò vt etiam à sua coniuge Michol, filia Saul, despectus & irrisus fuerit, dicente, *Quàm gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum; & nudatus est quasi nudetur vnus de scurris.* At ille, quod religiosissimum principem ac Dei seruum decebat, respondit, *Ante Dominum qui elegit me potius quàm patrem tuum, ludam, & vilior fiam plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis; & cum ancillis de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Sciebat enim illud quod omnes Christiani nouimus, quia Deo seruire, regnare est. Cui & nouerat dicere, *Tu es gloria mea & exaltans caput meum.* Sed non ibi conquieuit animus pijssimi regis. Iam arcam ad se introduxerat, tenso ei tabernaculo, & Leuitarum ministerijs vtcunque ordinatis, qui coram ea in hymnis & organis & cymbalis & tubis iugiter laudarent Dominum, confitentes ei quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius: Iamque videri poterat

2. Reg. 6.

voto potitus. Verùm ille multo longiùs deuotionem suam extendit. *Diligebat quippe decorem domus Dei.* Ideo de domo cogitat ædificanda Domino. *Vidésne*, inquit ad Nathan prophetam, *quòd ego habitem in domo cedrina; arca autem Domini sub pellibus est?* Cúmque responsum accepisset à Domino, *Non tu ædificabis mihi domum ad habitandam: sed filius qui nascetur tibi, ipse ædificabit domum nomini meo:* Minimè tamen cessandum sibi ratus, illud saltem suarum partium esse putauit, vt omnem materiam, omnemque sumptum præpararet ad domum Domino ædificandam. Et quam domum? *Domus*, inquit, *quam ædificare volo Domino, talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur. Præparabo ergo ei necessaria.* Et ob hanc causam, ait scriptura, ante mortem suam omnes præparauit impensas. Scire vultis impensarum magnitudinem? *Ecce ego*, inquit ad Salomonem filium suum, *in paupertate mea præparaui impensas domus Domini; auri talenta centum millia; & argenti mille millia talentorum; æris verò & ferri non est pondus. Vincitur enim numerus magnitudine. Ligna quoque & lapides præparaui ad vniuersa impendia.* &c. Neque tamen hæc satis illi erant ad maiestatem domus, quam ędificare voluit: quod de suo minus potest, de publico procurat, indicta principum ac totius populi collecta spontanea. Qui, regis ad exemplum, toto

2. Reg. 7.

1. Par. 22.

corde

corde obtulerunt ea quæ commemorantur eiusdem libri cap. 29. Nec hac quidem prouidentia contentus, adiungit mandatum quo pręcipit cunctis principibus Israël, vt adiuuent filium suum. Quin & illud ad curam suam pertinere existimauit, vt locum ædificando templo aptum & commodum inueniret. Qua in re, solicitudinem eius, quanta fuerit, pulchrè describit Salomon, ita de patre suo canens in psalmo; *Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis*, siue, vt in Hebræo est, afflictionis & laboris, *eius*: *Sicut iurauit Domino*; *votum vouit Deo Iacob. Si introiuero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei*; *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem*: *Et requiem temporibus meis*: *Donec inueniam locum Domino*; *tabernaculum Deo Iacob.* Nec voto suo frustratus est rex Deo deuotus. Nam sequiente peste, quam inter tres plagas elegerat, quum pro populo supplicaret, oraculo diuino ostensus est ei locus in quo & placare Deum oblato sacrificio deberet, & domum ei ædificandam filio suo mandare. Denique ne quid esset quod ad Dei cultum in ea domo constituendum ac stabiliendum à se desiderari posset; penè limites suæ potestatis atque officij prætergressus, accuratè etiam ministeria disposuit sacerdotum ac Leuitarum, prępositos, cantores, ianitores, thesaurorum va-

ſorumque ſacrorum cuſtodes; Item miniſteriorum ordines & vices. Addit & pſalmos à ſeipſo compoſitos; & muſica varij generis inſtrumenta, diuinis laudibus celebrandis accommodata. Atque hæc omnia ſanè merebantur, vt domus illa ſeu templum, Dauidis potius quàm Salomonis diceretur, quamuis vſus loquentium (ſed extra ſcripturam ſacram) diuerſum obtinuerit. Multo enim plus eſt quod in eam contulit Dauid, quàm quod Salomon. Sed myſtica ratio, quæ Dauidem prohibuit ab ædificanda domo Dei, id etiam poſtulabat, vt non Dauidis templum, ſed Salomonis nuncuparetur. Quum alioqui ſi merita conſiderentur, Dauidis ſint in eo opere, quàm Salomonis, haud dubiè excellentiora. Hæc de Dauide, vt oſtenderem quàm is verè dicere potuerit: *Domine dilexi decorẽ domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Ac rurſum quàm verè cecinerit
Pſa. 83. in alio pſalmo: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Habuit ille in hoc pietatis zelo, non quidem ęquales, ſed tamen imitatores ſtrenuos, Ezechiam & Ioſiam reges, Zorobabel ducem populi, & Simonem Oniæ filium, ſacerdotem magnum, quem præclarè
Cap. 50. commemorat Eccleſiaſticus. Horum exempla velim ob oculos poſita tam regibus quàm ſacerdotibus Chriſtianis, vt quod ab illis tanto
ſtudio

ſtudio factum viderint circa templum illud vmbraticum, eiuſque cultum carnalem vt ita dixerim, conſeruandum atque inſtaurandum; id à ſe, ſtudio certè non minori, nouerint agendum pro conſeruatione & inſtauratione cultus ſpiritualis, quem in Eccleſia ſua Chriſtus inſtituit. Quamuis enim vterque ſit cultus exterior, conſiſtens in ceremonijs, ſacramentis, ſacrificijs externis & ſenſibilibus, nec non in precibus & canticis audibili voce pronunciatis; quamuis etiam vtrique cultus interior reſpondere debeat: illum tamen carnalem voco, hunc ſpiritualem, quòd ille non niſi ad emundationem carnis & remiſſionem peccatorum legalem valeret (*Nihil enim ad perfectum adduxit lex*; ait apoſtolus. vnde & *mandatum illud carnale* ab eodem vocatur) quodque huic ſuæ qualitati congruentes habuerit ceremonias, quas idem apoſtolus iuſtitias carnis appellat: hic verò, ex inſtitutione ſui authoris, ad emundandam conſcientiam, animaſque ſanctificandas vim ſuam extendat; cui proinde ceremoniæ vt pauciores, ita & puriores & ſpiritualibus ſignificandis aptiores, ſunt aſſignatæ. In quo item, ſacrificium non multiplex ſed vnum; non brutorum animalium occiſorum, ſed corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti: In qua parte miniſterij, quemadmodum Epiphanius & Hieronymus loquuntur,

Heb. 7.

præcipua salus est Christianorum. Quam ob causam Patres concilij Tridentini inter alia quæ pro reformatione Ecclesiæ prudenter & sanctè constituerunt, singularem curam adhibendam voluerunt vt hoc sacrosanctum Missę
Sess.22. sacrificium omni religionis cultu & veneratione celebraretur. *Quòd si,* inquiunt, *necessariò fatemur nullum aliud opus adeò sanctum ac diuinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; Satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, vt quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori deuotionis ac pietatis specie peragatur. Cùm igitur multa iam siue temporum vicio, siue hominum incuria & improbitate, irrepsisse videantur, quæ à tanti sacrificij dignitate aliena sunt: vt ei debitus honor & cultus, ad Dei gloriam & fidelis populi ædificationem, restituatur; decernit sancta Synodus, vt ordinarij locorum episcopi ea omnia prohibere atque è medio tollere sedulò curent ac teneantur, quæ vel auaricia idolorum seruitus, vel irreuerentia, quæ ab impietate vix seiuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit.* Et multis interpositis; *Postremò, ne superstitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propositis caueant, ne sacerdotes alijs, quàm debitis horis celebrent, néue ritus alios aut alias ceremonias*

monias & preces in missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ ac frequenti & laudabili vsu receptæ fuerint. Huc vsque Synodus. Cuius quidem decretum strenuè & pro viribus exsecuti sunt, cùm aliarum regionum episcopi, tum vel hi maximè qui Belgij nostri regunt Ecclesias. Exstant eorum decreta Synodalia de cultu, ceremonijs & officio diuino, deque tollendis ac profligandis vitijs & corruptelis, quas superiorum temporum supina negligentia, etiam in ipsius sacrificij sacram actionem inuexerat; adeò vt multa iam, Deo eorum pios conatus adiuuante, correcta habeamus. An verò inter eiusmodi vitia seu corruptelas reponi debeat illa dudum ac passim vsitata Missarũ, quas vocant, siccarũ celebratio, dubitare quis posset. Certè ita visum est Reuerendissimis Dominis Ecclesiarũ Belgicarum episcopis; qui pari consensu missas istiusmodi censuerunt penitus abrogandas; idque Statutis ea de re editis, partim in synodis ipsorum tam diœcesanis quàm prouincialibus, partim in Directorijs parochorum, quæ Pastoralia seu Manualia vocantur. Quæro igitur an siccarum Missarum vsus iusta ratione sublatus sit per synodos episcopales; ea de re pro tempore pauca dicturus, si primum quænam Missa sicca dicatur, & quas ob causas celebrari soleat, exposuero. Guido de monte Quæstio.

 Ro-

Rocherij in libro cui titulus est *Manipulus curatorum*, quemque typographi hodie inscribunt Enchiridion sacerdotum, tract. 4. cap. 7. ita scribit; *Ratione peregrinorum non debet quis transgredi institutionem de unica missa celebranda in die. Saluo tamen meliori iudicio, magis approbo circa ista, consuetudinem qua obseruatur in aliquibus Ecclesijs Gallicanis; quando scilicet dictâ missâ superueniunt peregrini ad aliquam Ecclesiam; si non sit ad manum alius sacerdos paratus celebrare, sacerdos induit se, quomodo si deberet dicere missam, & dicit missam de B. Virgine, vel de sancto spiritu vel de illo sancto in cuius honorem suscipitur peregrinatio; non tamen dicit canonem, nec consecrat: sed ostendit eis reliquias aliquas loco eleuationis corporis Christi. & ista missa vocatur missa sicca.* Sic ille. Ioannes Eckius in annotationibus ad librum quendam oblatum Cæsari, art. 21. *Missam siccam appellant*, inquit, *quando die dominico aut festo sacerdos simulat omnia quæ sunt celebrantis, cum introitu, collecta, epistola, euangelio & canticis; tamen quia non habet communicantem, nec ipse vult communicare, ideò non consecrat; sed est missa sicca, sine Eucharistia, sine corpore & sanguine Christi.* Nostri temporis scriptor Emanuel Sa, in aphorismo 39. verbi Missa, describit hoc missę genus his verbis; *Missa sicca celebratur sine planeta, cum vestibus reliquis sacris, vel superpelliceo cum stola in modũ crucis, & cãdelis. Non fit antẽ cõuersio*

ad

ad populum nec cõſecratio, nec ea quæ ad oblationem pertinent. Hæc ille. Parochus quidam diœceſis Cameracenſis ante annos 25. ſic mihi eam deſcripſit; *Cùm noua nupta offert ſe benedicendã, ſolent paſtores (vel quia antè ſacroſancta myſteria peregerunt, vel quia cibum ſumpſerunt) ſolent, inquã, ſubmiſſa voce miſſam celebrare, quã vocant ſiccam, hoc pacto: Non præmittunt confeſſionẽ, ſed incipientes ab Introitu, omnia perficiunt vſq; ad canonem; tum canone omiſſo tranſeunt ad orationem dominicam, cætera ſuperaddentes; ſed non communicant, quia non conſecrarunt*. Hactenus ille. Dicuntur & vetera quarundam eccleſiarum Manualia modum ac ritum præſcribere miſſarum huiuſmodi celebrandarum, ac nominatim Sacerdotale Romanum: quæ quoniam in promptu non habebã, verba eorum prætermitto. Satis enim ex his quæ in medium attuli, intelligere licet, quænam Miſſa ſicca dicatur, & quas ob cauſas celebrari ſolita. Rationem nominis Eckius diſertè expreſſit, quia ſine Euchariſtia eſt, id eſt, ſine corpore & ſanguine Domini. Cauſæ variæ indicantur. Prima, quam ſolam adfert author Manipuli, nè peregrinus qui voto ſuſcepto memoriam alicuius ſancti viſitat, ſerò adueniens omninò careat miſſæ ſolatio. Hanc cauſam aliæ poſtea ſubſecutæ ſunt; vt ſi noua nupta ſit benedicenda, ſi puerpera purificanda: Item pro nauigantibus, vt quoniam in mari propter

agitationem missas celebrare periculosum est; ideoque illicitum, vt tradunt Summistæ, Syluester & alij; saltem habeant aliquid simile sacrificio missæ. tametsi refert S. Gregorius lib. 5. dialogi cap. 36. quosdam nauigantes oborta tempestate in extremo discrimine positos, pace mutuò data corpus & sanguinem redemptoris accepisse. Eas verò Missas nauticas aliqui vocant: Alias porro, venaticas seu venatorias; quæ fiunt in gratiam venatorum; quibus scilicet ad venationem festinantibus integrum non est, integrum missæ sacrificium audire; aut ab ea serò reuersis, non licet. Sed & pro defunctis hoc genus missarum aliquãdo celebrari consueuit. Legi in epitaphio cuiusdam qui mortuus est ante annos 128. fundationem ab eo factam trium missarum, & trium siccarum; vtique pro refrigerio animæ suæ. Iam verò generalem quandam causam Eckij verba nobis innuunt; *Quoniam*, inquit, *sacerdos non habet communicantem, nec ipse vult communicare (fortè grauatus mala conscientia): propterea non consecrat, sed siccam missam facit.* Si quæras à quo tempore inceperit vsus harum missarum; arbitror non multo ante tempora Guidonis Rocheriani. Nam de ea consuetudine loquitur velut recentiore & particulari. Scripsit autem ille suum librũ ante annos 275; quod ex epistola dedicatoria liquet. Ex eodem

satis

ſatis apparet has miſſas originem habuiſſe in Gallia, quamuis inde paulatim ad alias regiones, Germaniam, Italiam & Belgium noſtrum manauerint. Ac fortaſſe authoritas libri (multorum enim manibus teri ſolet) effecit, vt qui in eo commendatur, ſiccarum miſſarum vſus, paſſim fuerit receptus. Sed nunc argumenta proferamus eorum quibus earum vſus videtur non improbandus. Primùm aiunt miſſas ſiccas ſeu nauticas non carere antiquitatis commendatione. Nam Dionyſius hierarchiæ Eccleſ. cap. 7. inter reliquas Chriſtiani funeris ceremonias Euchen nominat, quam veteres Miſſam verterunt, ac nominatim Burchardus lib. 3. decretorum cap. 65. Nam in hac miſſa ſuſtinentur catechumeni & pœnitentes. Cuius rei cauſam hanc habent, quòd in exſequijs non fieret conſecratio, ſed tantùm precatio, nullaque ſequeretur communio. Meminiſſe quoque earum putant concilium Carthag. 3. can. 29. qui ſic habet, *Placuit vt ſacramenta altaris non niſi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo cœna Domini celebratur. Nam ſi aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi qui faciunt iam pranſi inueniantur.* Tertiò huc adducunt miſſas illas imperfectas, in Græcorum Eccleſijs vſitatas, quæ vocabantur præſanctificatorum, id eſt, hoſtiarum ante

eum

eum diem consecratarum. Quæ missæ præter communionem nihil habebant. Fiebant autē per omnes ferias quadragesimæ, die Dominico & sabbatho exceptis; tametsi huius generis vnicam in die parasceues seruat Ecclesia Latina. Hæc tria argumenta mouerunt authorem catecheseon ex prælectionibus Domini Galeni, huius quondam cathedræ primarij professoris & academiæ Cancellarij confectarum, catech. 139. mouerunt, inquam, vt a missis siccis approbandis non abhorreret. Quartò; Quid prohibet, inquiunt, missas eiusmodi retineri in vsum fidelium, vt laudes Dei, & pias quasdam orationes Deo offerendas pro salute viuorum ac defunctorum; vt hac ratione etiam sacrificia possint appellari, iuxta
Psa. 49. scripturas, *Sacrificium laudis honorificabit me.* &,
Ps. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* & apud apostolum, *Offeramus hostiam lau-*
Heb. 13. *dis semper Deo*, id est fructum labiorum confitentium nomini eius. Sanè constat in ijs precibus & canticis, quoniam ex probatis missalibus recitantur, nihil improbandum contineri. Postremò, Quid attinebat nouis decretis abrogatorijs conuellere morem tam antiquum, tot Ecclesiarum; eumque doctorum testimonio & episcoporum authoritate firmatum? Nam Guido vir doctus, vt audiuimus palam approbat. Galenus quoque noster, siue eius interpres,

pres, conciliat eis primę antiquitatis honorem. Quodq́; his amplius, Sacerdotale Romanum, & aliarum ecclesiarum Manualia, dum ritum celebrandi præscribunt, vtique tanquam res bonas, & ad Dei cultum pertinentes, cōmendant. Hæc igitur sunt quæ pro missis siccis adferri possunt. Verùm absit à nobis, vt his argumentis moti iudicium doctissimorum & sanctissimorum antistitum, quorum synodalibus decretis illæ missæ sunt abrogatæ, inter quos fuêre Martinus Rythouius Iprensis Episcopus, Petrus Curtius Brugensis, & Cornelius Iansenius Gandauensis; omnes scholæ Louaniensis in sacra Theologia magistri & professores; absit, inquam, vt horum iudicium sinamus in dubium vocari aut quoquo pacto de inscitia, temeritate, imprudentia suspectum reddi. Potiùs rationes expendamus, quibus inducti id necessariò sibi faciendum iudicauerint. Sunt autem grauissimæ. Primùm, videbant eas missas, à nullo Pontifice Romano, à nulla synodo, à nullo canone Ecclesiastico authoritatem habere; sed initium accepisse à priuata quorundam ac indiscreta deuotione, tam fidelium seu peregrinorum seu quorumcunque aliorum quibus molestum erat, consueto missarum beneficio distitui; quàm sacerdotum, qui illorum deuotioni nimium indulgentes sese præbuerunt. Sciebant item in sacramentis Dei nihil

sim u-

ſimulatum admitti debere. Quo argumento docent Theologi non eſſe licitum peccatori impœnitenti Euchariſtiam petenti, porrigere panem non conſecratum. Atqui magna hîc hypocriſis eſt, ſi non in intentione ſacerdotis, attamen in re ipſa quæ agitur. Dum enim ſacerdos veſtibus ſacrificalibus indutus accedit ad altare Domini, luminaribus impoſitis, legit Introitum, orationes, epiſtolam, euangelium, ac cætera facit quæ ſacrificaturi ſolent, tantùm canone, & conſecratione Euchariſtiæ, eiuſque ſumptione abſtinet: quis obſecro fideliũ ſimplicium & indoctorum huiuſmodi ſacerdotis actione non fallatur, vt putet verè agi id quod ſimili actione verè quotidie in Eccleſijs agitur, id eſt, veram miſſam à Chriſto Dño inſtitutam, celebrari? maximè cùm errorem confirmet ipſum nomen miſſę. Vocantur enim ab omnibus tam doctis quàm indoctis, Miſſæ ſiccæ. Neque verò ita doctum eſt vulgus vt nouerit determinationem ibi eſſe non reſtringentem, ſed alienantem, quomodo dialectici loquuntur. Rectiſſimè igitur cenſuerunt epiſcopi, vel ideo retinendas non eſſe, quia ſimilitudinem habent cum veris miſſis, & ſpeciem earum ingerunt oculis ſimplicium, & hac ſpecie eos fallunt vt errore exiſtiment veras ſe miſſas audire. Hic autem error quàm ſit fidelibus periculoſus, quis non videat? Præterea, credo

ſanctos

sanctos illos episcopos etiam amplius ac penitius considerasse actionis istius absurditatem. Si enim quispiam inuitaret amicos ad epulum, & mensam ijs sterneret, positis mappis & mantilibus, & quadris, & patinis ; verùm nec cibi quicquam, nec potus, quo conuiuę reficerentur apponeret, sed vacuos omnino dimitteret ; & tamen ne parum pius conuiuator appareat, in principio mensæ benedictionem recitaret, atque in fine, gratiarum actionem : quis non rideat, imò non insectetur hominis illius stultam improbitatẽ, qui amicos ad epulandum inuitatos, ad hunc modum illudendos sibi sumsisset ? Atqui simile valde est quod hîc agitur. Paratur altare, sternitur mensa Domini, vestit se sacerdos ornamentis solitis, tanquam oblaturus & appositurus cibos ; præmittit orationes quæ significant futurum sacrificium ; recitatur oratio Dominica, solita recitari propter illud, *Panem nostrum quodianum* : Denique, in exitu leguntur orationes pro gratiarum actione percepti sacrificij , *Quod ore sumpsimus, &c. Refecti cibo potuq; cælesti, &c. Hæc nos communio protegat*, &c. Nec tamen oblatum aut appositum quicquam fuit, quò omnis illa actio & oratio referri possit. Hoc quid aliud est quàm hominibus ludibrium facere ? Quid si etiam Deo & Christo eius ? Quod ne durius dictum cuiquam videatur, audiat quid Ioannes

nes Eckius vir doctiſſimus, ac Martini Lutheri fortiſſimus antagoniſta, de hac re ſentiat. Sic enim ſcribit in libro ſuperius à me citato: *Impium & blaſphemum eſt nouum aliquorum commentum, & à Christo paſſo in Eccleſia inauditum, de ſicca miſſa, iuxta vulgare Germanicum.* Deinde poſt eius deſcriptionem quam ſuprà audiſtis, ita ſubiungit: *Hoccine eſt irridere Deum & illudere Chriſto cum Iudæis faciem eius velantibus, ſpectaculi more ſimulare id quod in veritate non agitur?* En de miſſis ſiccis iudicium tanti viri. Sed cur vocat eas irriſionem Dei & illuſionem Chriſti? Ideo, ni fallor, quia ſimulatur & obtenditur illa actio & non exhibetur, in qua Chriſtus Deo patri offertur: quod vtique in Dei & Chriſti eius iniuriã cedere perſpicuum eſt. Poſtremò, ſciebant Reuerendiſſimi Domini epiſcopi, de quibus loquor, poteſtatem ſibi datam, imò neceſſitatem impoſitam à concilio Tridentino, tollendi & abrogandi ea omnia, quæ vel auaritia, vel irreuerentia, vel ſuperſtitio in Dei cultum induxiſſet; denique corrigendi quicquid à tanti ſacrificij dignitate alienum aut à ritibus ac ceremonijs Eccleſiæ diuersũ irrepſiſſet. Quale eſſe id de quo nunc agimus, ſatis iam liquet ex dictis. Itaque concludo, memoratos antiſtites decretis ſuis Synodalibus, iuſtiſſima ratione miſſas ſiccas ſubmouiſſe, earumque vſum penitus interdixiſſe.

Tan-

Tantùm reliquum est, vt breuiter ad ea respondeamus quæ patrocinari missis huiusmodi videbantur. Primum quod ex Dionysio adfertur ad rem præsentem nihil facit. Nam Dionysius nudas preces in funere describit, non missam, nec aliquid simile cum missa; nisi quis etiam Vigilias mortuorum Missam velit vocare. Cæterùm Dionysij interpres qui Græcam vocem euchē vertit missam, imperitiam suam prodidit. Nam euche non aliud Græcis significat quàm votum aut precationem, aut coniunctè vota precesque. Eadem planè responsio valet ad canonem concilij Carthaginensis. Quanquam de eo canone glossa iam olim pro nobis satisfecit, ad capitulum, Sacramenta altaris. de consec. dist. 1. *Si oportet*, inquit, *presbyterum pransum commendationem mortuorum facere, sine commendatione missæ debet hoc facere.* Sentit ergo glossator, officium missæ in casu canonis omnino prætermittendum esse; & alias preces, vt mortuorum vigilias, esse legendas. Has enim orationes intelligi vult concilium. Porrò quod obijcitur de missis præsanctificatorum, quæ sunt in Græcorum consuetudine; & de actione liturgica, quam obseruat Ecclesia Latina in sacra die parasceues, non minori facilitate diluitur. Nam illæ missæ sunt pars quędam & consummatio sacrificij corporis & sanguinis Domini antea oblati. Fit

enim in ijs ſumptio & conſumptio myſteriorum. Itaque rectè fiunt eiuſmodi miſſæ ad altare, tanquam ad menſam Domini, ex qua ſumitur panis & potus myſticus, corpus ſcilicet & ſanguis Chriſti. At in miſſis ſiccis nihil tale, ſed talium larua quædam ac falſa promiſſio. Hinc etiam patet, cur retineri non debeant aut tolerari tanquam orationes quædam ac Dei laudes. Non enim poſſunt orationes & laudes vllæ eſſe Deo gratæ, ſi cum hypocriſi, & iniuria Dei, & ſcandalo proximorum coniunctæ fuerint. An verò deſunt aliæ preces ab Eccleſia probatæ & vſitatæ, quibus tam viuorum quàm mortuorum ſalus Deo commendetur; vt ad ciſternas iſtas ſiccas quæ continere non valent aquas confugere oporteat? Quod attinet ad authores & ſtatuta quibus illæ miſſæ fulciri videbantur; breuiter de ſingulis ita reſponſum ſit. Guido modeſtè loquitur dum ait; *Saluo meliori iudicio magis approbo &c.* Quis verò non huius ſimplicis presbyteri iudicio, ſententiam anteponat tot ac talium epiſcoporum? Dominus Galenus, etſi vir doctiſſimus, opinione falli potuit, ſi tamen ita ſenſit; nec adhuc epiſcoporum decreta viderat, haud dubiè aſſenſurus & approbaturus, ſi vidiſſet. Quod idem dico de eius interprete. Denique Sacerdotale Romanum, quod nobis obijcitur, priuati eſt hominis, nec à Romana Eccleſia

appro-

approbatum. Manualia quoque Ecclesiarum, siqua missas huiusmodi præscribunt, non ab Episcopis edita fuerunt aut probata, sed illis fortasse dormientibus, ab eorum vicarijs per imperitiam parochis diœcesanis obtrusa. *Cum enim dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit Zizania in medio tritici.* Matth. 13 Sed hęc satis de quęstione proposita. Det nobis omnibus Deus per gratiam suam ita conuersari in domo sua & Ecclesia sua, vt cum psalmista verè & in Domino dicere possimus; *Domine dilexi decorem domus tua & locum habitationis gloria tua*; vtque consortes effici mereręamur eorum de quibus idem psalmista canit: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Vide de hac materia Nauar. ni fallor, 88 et seq. qui dissentit, et de sacerdotali Rom. dicit quod aiunt id esse approbatum a Leone X°.

Anno 1608. 21. Nouemb.

ORATIO DECIMA-QVARTA.

De Magdalena Euangelica.



VÆSTIO celebris est apud Theologos, auditores, vtrùm ea quæ in euangelijs commemorantur vel de muliere peccatrice, cui remissa sunt à Domino peccata multa, quia dilexit multum; vel de Maria Magdalena, de qua eiecit septem dæmonia, quæque circa sepulcrum Domini solicita fuit; vel de ea quæ apud tres euangelistas Dominũ vnxisse legitur in Bethania: in vnam eandemque mulierem omnia competant, an

verè

verò ad diuersas, duas scilicet, aut tres, aut etiam quatuor mulieres sint referenda. Variant enim opiniones, plærisque sentientibus, quod vna sit eademque: alijs verò in duas, alijs in tres quatuórue ea quæ narrantur, distribuentibus. Quæ quæstio quoniam ad intelligentiam euangelicæ narrationis, & dicta euangelistarum inter se concilianda, pertinet atque conducit: gratam fore huic celeberrimo auditorio eius tractationem, minimè diffido: maximè quòd & temporis occasio nos huc inuitet. Nam siue vna sit illa mulier, siue duę, siue plures; crastina dies qua per totam Ecclesiam solemnitas agitur Beatæ Mariæ Magdalenæ, ita nobis eorum quæ siue de vnâ, siue de pluribus euangelica prodit historia, sub vno nomine commemorationem indicit; vt etiamsi plures sint, nullius tamen earum memoria prętermissa videatur. Est autem hæc quæstio non nuper excitata, vel hoc, vel superiori sæculo: sed de qua etiam veteres ac præcipui doctores Ecclesiæ, tanquã de dubia & controuersa quæstione locuti sunt. Quam proinde Cæsar Baronius in suis ad martyrologium Romanum annotationibus, famosissimam & antiquitus disputatam quæstionem appellat. Mariannus quoque Victorius in Indice operum S. Hieronymi, difficillimam vocat, & vbique in Ecclesia controuersam. Dixi præcipuos Ecclesiæ doctores, de

ea velut dubia locutos fuisse: Ii sunt Ambrosius, Hieronymus & Augustinus. Ambrosij scribentis in 7. caput euangelij secundum Lucam, vbi peccatricis mulieris historia narratur, hæc verba sunt: *Hanc ergo mulierem inducit S. Matthæus supra caput Christi effundentem vnguentum: & ideo fortè noluit dicere peccatricem. Nam peccatrix secundum Lucam supra Christi pedes effudit vnguentum. Potest ergo non eadem esse; ne sibi contrarium euangelista dixisse videantur. Potest etiam quæstio meriti & temporis diuersitate dissolui: vt adhuc illa peccatrix sit, iam ista perfectior. Etsi enim personam non mutat Ecclesia vel anima, tamen mutat profectum.* Et infrà: *Altera igitur est illa, vel persona, vel profectu.* Hæc Ambrosius. Sed & Hieronymus lib. 2 contra Iouinianum ita scribit: *Hic iam quæritur in corpore, qui pedibus Domini dignus sit, qui capite: qui oculus eius sit, qui manus. Quod & duæ mulieres in euangelio, pœnitens & sancta, significant; quarum altera pedes, altera caput tenet: tametsi nonnulli existimãt vnam esse, & quæ primùm cœpit a pedibus, eam gradatim ad verticem peruenisse.* Sic ille; non tamen suam declarans dubitationem, sed quid àlij nonnulli existimarent, aperiens. Augustinus verò tract. 45. super Ioannem, exponens historiam Lazari a morte suscitati, cujus erat soror Maria; sic ait: *Ecce ipsa soror Lazari (si tamen ipsa est quæ pedes Domini*

vnxit

vnxit vnguento, & tersit capillis suis, quos lauerat lacrymis) melius suscitata est, quàm frater eius : quæ de magna malæ consuetudinis mole est liberata : Erat enim famosa peccatrix. Et de illa dictum est : Dimittũtur ei peccata multa, quoniã dilexit multũ. Liquet igitur hanc quæstionem de qua agimus, non solùm illo tempore, quo Patres memorati vixerunt, dubiam & controuersam in Ecclesia fuisse ; verùm etiam ipsos de ea dubitasse, Ambrosium (dico) & Augustinum. Nam Hieronymum non tam suam dubitationem declarasse, quàm quid nonnulli sentirent indicare voluisse, iam dictum est. Quanquam tota hæc istorum Patrum dubitatio, tantùm versatur in peccatrice de qua Lucę 7, & in Maria Lazari sorore, quæ Dominum vnxisse perhibetur apud tres reliquos euangelistas. Nam de Maria Magdalena nominatim ijs locis non meminerunt. Porro fuisse & ante istorum tempora, de numero dictarum mulierum varietatem opinionum, Origenes disertè testatur tract. 35. super Matthæum, agens de vnctionibus quas Christo Domino impensas à muliere seu mulieribus quatuor euangelistæ commemorant. *Multi quidem*, inquit, *existimant de vna eademque muliere quatuor euangelistas exposuisse ; quia conscripserunt tale aliquid de muliere : & omnes similiter alabastrum vnguenti nominarunt* ; et quæ sequuntur ; vbi suam de-

nique subijcit opinionem, qua non vnam, sed plures eas fuisse mulieres confirmat; vt infrâ videbimus. Post eum quoque Eusebius Pamphili scribens ad Marinum varietatis meminit, dum quosdam dicit duas ponere; licet ipse fateatur nihil obstare, quo minùs vna dicatur. Verùm vt ordine procedamus in tractanda quęstione, primo loco videndum quibus rationibus seu testimonijs fulciatur ea sententia, quæ tenet vnam eandemque fuisse mulierem, cui sint ea omnia asscribenda, quæ suprâ commemoraui. Deinde exponendæ rationes earum opinionum, quæ diuersa facta in diuersas personas, siue duas, siue tres, siue quatuor diuidunt: vt collatis argumentis, si fieri potest, emergat de proposita quæstione veritas; si non certa, saltem ita probabilis, vt animo quærentis ac dubitantis vtcunque satisfactum videri possit: sin minùs; saltem occasio data sit bonis ingenijs amplius aliquid atque exactius de hac quęstione cõmentandi.

Baronius citat.

Primùm non puto laborandum in explicandis argumentis eorum, qui narrationem Matthæi & Marci de muliere in Bethania vngente Dominum, & narrationem Ioannis, de Maria sorore Lazari itidem in Bethania Dominum vngente, ad diuersas referunt vnctiones: ac multo minùs, qui etiam ad diuersas referunt personas; quod faciunt Origenes loco superius citato,

cato, & eum secuti Theophylactus in Marcum, & Euthymius in Matthæum. Placet enim omnino hac in parte, quod scribit Augustinus lib. 2. de consensu euangelistarum cap. 79. non esse dubium, quin eandem rem memorati tres euangelistæ narrent gestam in Bethania: vbi etiam discipuli (quod omnes tres commemorant) murmurauerunt aduersus mulierem, tanquam de perditione preciosissimi vnguenti. Nam quod obstare videtur; dum vnus euangelista narrat pedibus infusum vnguentum, alij duo capiti; doctè eam apparentem dissonantiam tollit eodem loco Augustinus. Hoc igitur constituto, ac proinde quaternitate mulierum de quibus nunc agimus, submota; dispiciendũ de reliquis, num & illæ omnes in vnam concludi possint. Ea namque sententia est B. Gregorij Papæ, quemadmodum constat ex tribus locis simul sumptis, quæ sunt apud eum homilia 25. & 33. super euangelia, & cap. 186. libri 6. epistolarum: Cui sententiæ subscribunt posteriores non pauci, V. Beda, Rupertus, & alij atque inter hos author homiliæ cuiusdam de S. Maria Magdalena, falsò attributæ Origeni, inter cuius opera habetur; quum sit authoris Latini ac multo recentioris, ipso etiam Baronio teste in notis ad martyrologiũ; quem miror ita sui oblitum, vt in annalibus ex ea homilia docere contendat, Originem aliquando

a à pri-

à priori sua sententia recessisse. Hęc opinio, an apud quenquam scriptorem Ecclesiasticum Gregorio antiquiorem reperiatur, affirmare non possum. Nam quod Origines dicit multos existimare, de vna eademque muliere quatuor euangelistas locutos esse; tantùm de ijs agit euangelistarum narrationibus, in quibus fit mentio mulieris vngentis Christum: quod de Maria Magdalena expresso nomine nusquã legitur. Tantùm enim nominatur inter mulieres, quæ Christum sunt secutæ ministerij causa, & prosecutæ vsque ad crucem & sepulcrũ: quæ quidem vngere mortuum Christi corpus voluerunt, non tamen vnxerunt, resurrectione eius præuentæ. Veruntamen vnam eandemque esse, peccatricem, & Mariam Magdalenam, & Lazari sororem, ita videtur ex euangelijs ostendi: De sorore Lazari sic loquitur Ioannes capite 11. *Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis.* Atqui nulla alia mulier ante id tempus, nisi peccatrix illa, legitur vnxisse Dominum vnguento, & pedes eius capillis suis extersisse. Est igitur hæc eadem cum illa. Argumentum est beati Augustini, quo persuasus, in hanc sententiam descendit vt arbitretur peccatricem cum sorore Lazari eandem esse. Iam quod peccatrix eadem sit cum Maria Magdalena; suadet ea scriptura, qua dicitur,

ex hac Maria Dominus eiecisse septem dęmonia. Lucę 8. & Marci vltimo. Quod quidem in illam peccatricem apprimè quadrat, vt per septem dæmonia, viciorum vniuersitas intelligatur significata : idque iuxta B. Grogorij & aliorum interpretationem. Suadet idem euangelista Marcus, affirmans Christum postquam a morte resurrexit, omnium primò apparuisse Mariæ Magdalenæ. Valde enim conueniens erat, vt qui pro peccatoribus mortem subierat, à morte suscitatus primò se peccatrici videndum exhiberet. Rursus, eandem esse Mariam sororem Lazari cum Maria Magdalena, probant ex verbis quę Christus protulit, Iuda murmurante quòd Maria Lazari soror vnguentum preciosum effudisset in pedes ipsius; *Sine illam*, inquit, *vt in diem sepulturæ meæ seruet illud*. Cæterùm eandem illam quæ ad vngendum corpus Iesu paratum vnguentum ad eius sepulcrum attulit, Marcus euangelista Mariā Magdalenam fuisse testatur, quæ cum Salome & Maria Iacobi, id officij præstiterit. Vnde intelligi volūt hanc cum illa vnam & eandem esse. Denique confirmatur authoritate Ecclesiæ, quæ in officio diuino solemnitatis crastinę à vesperis hodiernis inchoandæ, ad vnam mulierem, quam Mariam Magdalenam nominat, omnia refert supradicta ; & quòd à peccatis sanata, & quòd à septem dæmonijs liberata, & quòd

Ioan. 12.

quòd ad sepulturam Dominicam sedula præ cęteris fuerit. In quo argumento plurimum esse ponderis, nemo est qui dubitet: adeo vt in quæstionem à nonnullis vocetur, an hæc sententia sit fide tenenda. Nam huc spectare volunt quod S. Gregorius dicit homil. 33. super euangelia: *Hanc verò quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus de qua Marcus septem dæmonia eiecta fuisse testatur.* Sed nunc ad eas rationes exponendas accedamus, quibus alij non vnam sed plures fuisse mulieres, id est, aut duas, aut tres (nam plures tribus quęrere superuacaneum est) in quas competant acta memorata. Vt autem ternarius earum habeatur numerus, hæc tria probanda sunt: Peccatricem & Mariam Magdalenam non esse eandem: rursus, Peccatricem cum Maria sorore Marthæ & Lazari non eandem esse: Item Mariam Magdalenam non esse eandem cum Maria sorore Lazari. Quibus autem binarius sufficit numerus; suffecerit quoque vnum quodlibet ex his tribus astruere posse. Quod igitur horum trium erat primum, id inprimis ostendi videtur ex ipsa serie narrationis euangelicæ apud Lucam. Cùm enim septimo capite de peccatrice & poenitente muliere pertexit historiam, nomen illius reticet, nòn ideo, (quod quidam adferunt pro ratione) quia famæ eius

De 1.

&

& honori consultum vellet. Quid enim ad consulendum eius honori profuit, euangelistam tacuisse nomen, si passim omnes per Ecclesiam fideles scituri erant, quænam esset? Aut, cur non eadem ratione Dauidis & Petri nomina suppressit scriptura, quando eorum crimina nobis prodidit? Sed tacuit, quomodo aliorum atque etiam aliarum quæ laudabiles fuere, nomina tacuerunt euangelistæ: velut illius Hæmorrhoissæ, & Chananeæ mulieris, & illius quam hic idem euangelista Lucas narrat extulisse vocem de turba, atque dixisse Domino: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Quum verò idem Lucas statim pòst, ac nulla alia narratione interposita, scribit de mulieribus quę curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus, sequebantur Christum, & ministrabant ei de facultatibus suis; primam inter eas suo nomine designat Mariam Magdalenam, nec verbo significans eandem esse, de qua proximè locutus fuerat. Quin potius non eandem esse narratio declarat. Nam peccatrici extremis verbis dicitur a Domino; *Vade in pace*: quod & Hæmorrhoissæ dixerat a se sanatæ, & adulteræ mulieri Ioan. 8. *Vade*, inquit, *noli amplius peccare*. Quæ verba vtique sunt dimittentis à se mulierem. Alioqui dixisset ei quod alijs, *Veni, sequere me*. Sed dices, Sponte sua mulier, collectâ prius ex facultatibus

Lucæ 11 Initio c. 8.

bus suis pecuniâ, Dominum secuta est, vt gratam se pro tanto beneficio accepto exhiberet. Id haud dubiè verum arbitror de Maria Magdalena à tot dęmonijs liberata: sed de peccatrice non fit probabile; imò videri potest admodum improbabile, vel hoc vno argumento: Nam qua ratione Christus Dominus qui toties & tam grauiter monet à scandalis cauendum esse, quique per apostolum suum præcipit dicens; *Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*: qua, inquam, ratione fineret peccatricem infamem mulierem, &, vt apertius dicam, publicam meretricem (sic enim à Patribus appellatur) recenter conuersam ac neophytam accedere ad suum comitatum, & in eo remanere; vbi paratæ tot calumniæ aduersariorum, tot in promptu infirmorum offensiones, etiam ipsorum Christi discipulorum? Aut quis hodie tale quid facientem aut patientem probaret? Quàm verò indecorum, mulierem nuper meretricem atq; infamem, familiariter assidueque conuersari cum Maria matre Domini, ac cęteris honestis & integræ famæ mulieribus; quæ Christum sequebantur, & tam viuenti quàm mortuo officiosa impendebant obsequia? Iam ex ipsa historia accedit aliud argumentum, quòd vna dici non possit, peccatrix & Magdalena. Hæc enim à septẽ dæmonijs curata narratur. Quod

Rom. 12.

etsi

etsi nonnulli de spirituali curatione, id est, viciorum expulsione, quibus obsessa fuerat illa peccatrix, exponant, vt suprà meminimus: plærique tamen interpretes de corporali dæmonum eiectione, vt verba sonant, intelligunt. Nam historicorum est planis verbis vti in suis narrationibus, & non allegoricè loqui. Testantur autem disertè Lucas & Marcus, ex hac muliere quam Mariam Magdalenam vocant, eiecta fuisse septem dæmonia. Nec sanè aliter id accipiendum, quàm quod idem Lucas eodem loco de alijs narrat mulieribus, quibus Magdalenam annumerat, dicens: *Et mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus; Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septē dæmonia exierant*, &c. Quęritur ergo quando fuerit ab hac obsessione dęmonum curata: num antequam vnxit pedes Domini, & ab eo audiuit; *Remittuntur tibi peccata*: an post id tempus. Nam in ipso tempore quo illud fecit & audiuit, eam curationem contigisse, ratio non sinit. Nequaquam enim euangelista hoc corporale miraculum spirituali coniunctum tacuisset: pręsertim in tanta dicendi occasione. Quòd si prius curata fuit; quomodo non tunc etiam desijt esse meretrix, tanto beneficio affecta? Nam certè quod alijs, id & ei dictum fuisset à Domino; *Vade & amplius noli peccare*. Si postea curata dicitur; cur post remissa & Luca. 8.
pec-

peccata, & postquam audiuit, *Vade in pace*; adhuc a dæmonijs fuit obsessa? Conatur hoc dilemma soluere Baronius in Annalibus: Verùm recténe & solidè, an secus id faciat, lector eius iudicet. Sed hæc satis de primo membro.
De. 2. Sequitur secundum, scilicet peccatricem non esse eandem cum Maria sorore Lazari. Quod ita probant; Peccatrix illa Galilæa fuit. Nam quòd de ea narrat Lucas, in Galilæa contigisse, contextus historiæ declarat. Consentiunt etiã interpretes, quibus placet rem accidisse, vel in Naim, vel in Capharnaum, Galileæ ciuitatibus. Maria verò Lazari soror, Ierosolymitana erat, ex Bethania castello seu municipio Ierosolymis vicino, sicut & soror eius & frater; quemadmodum liquet ex ijs, quæ de his tribus commemorat Ioannes. Nec vsquam legitur in Galilæa, vel alibi conuersata. Deinde, illa, infamis fuit mulier; hæc apud Iudæos honesta & clara habebatur; ita vt honoris causâ multi
Ioan. 11. ex Judæis, vt refert Ioannes inuiserent eam & Martham sororem eius, vt consolarentur eas super morte fratris. Quod facturos non est verisimile, si impudica & meretricia conuersatione familiam suam dehonestasset. His iam adde, quòd Christus Dominus non tam familiariter cum suis discipulis huius Mariæ domum frequentasset, multóque minus apud eam hospitium etiam nocturnum (quod ex

euangelijs

euangelijs fecisse constat) elegisset; si fuisset aliquando meretrix, eáque publicè infamis. Talium quippe familiaris & domestica consuetudo, etiam post actam pœnitentiam viris etiam sanctis fugienda est; saltem vt ne quis infirmus scandalizetur. Nec verò Iudæi prætermisissent Christo & discipulis eius hanc calumniam impingere, qui tam multa alia leguntur in eo criminari fuisse. Qui enim dicebant; *Hic cum peccatoribus manducat, & bibit*: an non multo magis dicturi erant, Hic hospitiū eligit apud infamem mulierem? Et, vbi regula, quam euangelij sui prædicatoribus præscripsit, dicens; *In quamcunque ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete*? *Dignus*, id est, honorabilis, ac bonæ famæ; ne scilicet euangeliū malè audiat propter hospitis vitam improbam aut suspectam. Restat vt & de tertio membro aliquid dicamus. Diuersam fuisse mariam Magdalenam à Maria sorore Lazari, primùm hoc communi argumento cum præcedente, videtur ostendi; quòd & illa Galilęa fuerit ex Magdalo Galileæ castello orta. Numeratur enim ab euangelistis inter eas mulieres, quæ Christum è Galilæa fuerant secutę. Mariam verò Lazari sororem Ierosolymitanam fuisse, iam probatum est. Nam quòd illuc ex Galilęa non commigrauerit, vt alij volunt, ex eo satis apparet,

De 3.

Lucæ 8. 23, 24.

quia Ierosolymis habebat multos notos; qui vt iam dictum est, honoris causâ ad eam ibant consolaturi super fratre defuncto. Præterea, nec legitur Maria Lazari soror occupata fuisse circa sepulturam Domini, quemadmodum nec Martha soror eius, quamuis multum sedula & solicita: sed hoc singulariter ac nominatim asscribitur Mariæ Magdalenæ, quę id pręstitit, adiuta à socijs mulieribus, quæ simul cum ipsa è Galilæa Ierosolymam ascenderant. Nam Maria & Martha, non erant ex earum numero, quæ Christum assiduè comitabantur ministerij causâ: Sed tantùm de illis legitur apud Lucam, & apud Ioannem, quòd Christo solitæ erant hospitium suæ domus præbere. qui vbi tale quid referunt, nusquam Magdalenam cognominant. Vbi verò de sepultura Domini agitur; Mariæ Magdalenæ nomen auditur. Verùm hæc satis. Omitto recensere authores & veteres & recentiores, quorum testimonijs hęc singula membra, vel simul omnia comprobentur. Non enim permittit breuitas temporis nobis ad dicendum concessi. Illud addo, videri posse quòd in hac re de qua agimus, acciderit, quod alibi interdum; vt diuersæ historiæ in vnam conferantur, maximè vbi consensus est in nomine. Quomodo Græci Nazianzenus & Metaphrastes; & ex Latinis Prudentius, ex duobus Cyprianis vnum fecerunt; quod & in

marty-

martyrologia quædam irrepsit. Ita Simonem apostolũ & Simeonem discipulum, Cleophæ filium, quidam vnum faciunt. Ita nonnulli de Philippo apostolo & Diacono tanquam vno, historias passionis coniungunt. Quod an etiã in Dionysio Atheniensi & Parisiensi acciderit, examinent antiquitatum periti: Certè constat in quibusdam martyrologijs, eos die & loco & genere passionis separari. Sic & e diuerso, nominum pluralitas vnam personam interdum in duas diuisit; Quod in Bartholomæo & Nathanaele accidisse, mihi vehementer probabile est. Intellexistis, auditores, quibus argumentis ac rationibus singula membra partitionis suprà positæ nitantur; ex quibus illud effici videatur, vt ternarius sit agnoscendus numerus earum mulierum, de quibus est instituta hæc oratio. Id cui non placet, illi necesse erit ad ea respondere. Si cui verò probatur hæc sententia: quid ad argumenta communiter receptæ opinionis responderi possit, ita breuiter accipiat. Quod adfertur ex capite 11. Ioannis, vbi dicitur, *quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis*, facilè soluitur ex capite 12. eiusdem, vbi id ipsum totidem verbis, quomodo factum sit, narratur. Scriptum est igitur 11. capite verbis præteriti temporis, historico more, vt præteritum referatur non ad tépus rei quæ narratur, sed ipsius

ſcriptionis. Quod genus prolepſin ſeu Anticipationẽ vocãt : quomodo multa dicta repeπiuntur in ſacris literis. Et vt aliquid huic ſimillimũ ex ipſis euangelijs adducamus, Mattheus, Marcus & Lucas enumerantes 12. apoſtolos, quos Chriſtus ſibi elegit, non modò Simonem in eo catalogo vocant Petrum, quámuis illud nomen poſtea acceperit; verùm etiam de Iuda dicunt quòd tradidit Chriſtum, quodque proditor fuerit. Quod vtique conſtat multò poſt illam electionem apoſtolorum, factum fuiſſe. Rectè tamen eo loco ſuæ hiſtoriæ, vbi de vocatione 12. apoſtolorum agitur, Iudam deſignant hoc epitheto, *qui tradidit eum* ; quia quamuis id poſtea fecerit, factum tamen eſt priuſquam ſcriberetur. Ita planè de eo quod Ioannes ſcribit, arbitrandum. Argumentum porro quod petebatur ex prærogatiua primæ apparitionis poſt reſurrectionem, duobus modis ſolui poteſt. Primùm, ſi dicamus Chriſtum non omnium primò Mariæ Magdalenæ, ſed dilectiſſimæ matri ſuæ (quæ multorum opinio eſt) apparuiſſe. Sed quia tam aperta ſcripturæ verba, quibus dicitur, Chriſtum apparuiſſe primò Mariæ Magdalenę, non mihi videntur cum aliqua exceptione, quam ipſa ſcriptura non ſuggerit, interpretanda ; aliter, & melius reſponderi poteſt, illius prærogatiuæ eam potius fuiſſe rationem,

quòd

quòd Dominus illis se primò omnium à resurrectione viuum exhibere voluit, qui vel quæ studiosius vel solicitius eum mortuū requirebant; vt & ibi locum haberet eius promissio qua dixerat; *Quærite & inuenietis.* Inter illas autem facilè primam ac præcipuam fuisse Mariam Magdalenam, ex ijs quæ Ioannes de ea scribit, intelligere promptissimum est. Cur autem ipsa inter has prima ac præcipua; nisi quia animo semper gerebat memoriam beneficij, quo fuerat à Domino affecta? Quod cùm à duobus euangelistis expressum legamus; Marci 16.
non est cur aliam excogitemus rationem, Lucæ 8.
quam probare non possumus. Iam illud quod adferebatur ex euangelista, *vt in diem sepulturæ* Ioan. 12.
meæ seruet illud; nihil conuincit, imo diuersam adiuuat sententiam. Nam sensus est, effuso in caput & pedes Christi adhuc viuentis vnguento, iam factum esse, quod illa facere cogitauerat aut potuerat, erga mortuum. ac si dicat: Ista exhibuit officium vnctionis viuo, quod aliæ exhibere volent mortuo, nec poterunt; vt pote per resurrectionem meam præoccupatæ. Quod apud Marcum expressius significauit Dominus, dicens. *Quod habuit hæc, fecit. Præuenit enim vngere corpus meum in sepulturam.* Marci 14.
Ad vsum publicum Ecclesiæ quod attinet, quæ tanquam de vna muliere quam Mariam Magdalenam nominat, solemnitatem

 annuam


annuam instituit & celebrat: iam initio responsionem indicaui. Non enim affirmat Ecclesia vnam fuisse; sed sub vno nomine tres historias euangelicas complectitur, & mulierem quam eædem historiæ commendant, siue vna fuerit, siue plures, sub vno nomine veneratur. Nam Ecclesiæ non eam esse mentem, vt velit ad vnam ac eandem mulierem omnia referri; dupliciter ostendo. Primùm, quia cùm in Ecclesiastico officio huius festi, prius caneretur hymnus, cuius initium, *Lauda mater Ecclesia*, in quo leguntur hi versus: *Maria soror Lazari, quæ tot commisit crimina*, & quæ sequuntur; visum fuit summo Pontifici Clementi octauo eum hymnum submouere, & pro eo alium substituere. Non enim placuit vt tam expressis verbis de Maria sorore Lazari & hospita Christi, diceretur, *Quæ tot commisit crimina*. Deinde id confirmo ex Litanijs ecclesię, In quibus inter sanctarum virginum nomina, primo loco ponitur Maria Magdalena, & demum subiungitur: *Omnes virgines & viduæ, orate pro nobis*. At verò nullus dixerit, Mariam Magdalenam viduam fuisse: Fuit igitur virgo; & proinde ab illa peccatrice diuersa. Sed nec illud difficultatem habet, quod Gregorius dicit; *Hanc peccatricem mulierem, quam Ioannes Mariam nominat, credimus illam esse, de quia Marcus septem dæmonia eiecta fuisse testatur*. Nam

credere,

credere, in his verbis non aliud est, quàm existimare, siue id certa fide teneatur, siue tantũ opinione probabili. Quomodo & Augustinus loquitur tract. 50. in Ioannem. Quod ait *pistici*, locum aliquem credere debemus, vnde hoc erat vnguentum. *Credere debemus*, id est, existimandum est, opinari conuenit: qua tamen in re historicę cognitionis, falli B. Augustinum valde verisimile est. Et ad hunc modum sæpè etiam alij loquuntur. Vt finem faciam, profiteor hęc a me ita dicta esse & disputata, vt nihil prorsus definitè de quæstione proposita affirmare velim: cuius determinationem equidem doctioribus, atque inprimis Ecclesiæ Catholicę & sacrosanctæ sedis apostolicę iudicio, cui nos in omnibus acquiescere par est, libenter relinquo.

Anno 1609. die 21. Iulij.

Additio ex schedis ipsius Authoris.



RIA posueramus probanda; Primum, Mulierem peccatricem de qua Lucæ 7. & Mariã quæ in euangelijs nominatur Magdalena, esse diuersas. Secundum, Illam peccatricem & Mariam sororem Lazari

Lazari esse diuersas. Tertium, Magdalenam & Mariam Lazari sororē diuersas esse.

Quod ad primum attinet, hæc addi possunt. S. Ambrosium in cap. 24. loquentem de Magdalena, loqui tanquam de diuersa ab illa peccatrice. Nam quod eodem loco paulò pòst, ait; *Veterisque lapsus ærumnam compensat resurrectionis indicio*: hoc de muliere in genere dicit, non de vna aliqua singulari; & lapsum Euæ primæ parentis intelligit; vt manifestũ est inspicienti locum. Idem tamen in Præfatione quam habet in festo B. Mariæ Magdalenæ, sic loquitur quasi esset vna eademque illa quondam peccatrix & Magdalena; vt anceps fuisse videatur, quemadmodum & suprà dictum est.

Sedulius libro tertio Carminis Paschalis, sentit esse diuersas Peccatricē & Magdalenam; dum locis magno interuallo seiunctis refert Peccatricis conuersionem atque reconciliationem, & septem dæmoniorum ex Magdalena expulsionem.

Quod attinet ad secundum; S. Hieronymus in 26. Matth. paulo post initium, constanter facit diuersas Peccatricem & sororē Lazari; dum ait, *Nemo putet eandem esse* &c. Chrysost. quoque homil. 81. in Matth. & 61 in Ioannē, eas facit diuersas S. etiam Petrus Chrysol. serm. 93. loquitur de ijs tanquam de diuersis. B. Ambrosius autem in 7. Lucæ scribens, dubitat an sit eadē mulier de qua illic agitur, & de qua apud Matth. c. 26. in princ. vbi narratur quod vnxerit caput Domini. *Potest*, ait, *non eadem esse*. Et paulo pòst, *Altera est illa, vel personâ vel profectu*. S. quoque Augustinus, sermo. 27. de verbis Domini; *Vita iniqua non erat nec cum Martha, nec cum Maria: & si aliquando fuit, Domino intrante fugit*. Atqui vita iniqua illius peccatricis non fugit Domino intrante; sed potius ipsa ad Dominum intrante. Nec de illa peccatrice dubitanter loquutus fuisset Aug. *Si aliquando fuit*. Significat igitur Mariam sororem Lazari & Marthę fuisse diuersam ab illa peccatrice; aut

saltem,

saltem, sibi esse ambiguum an sit eadem cum illa. Sicut etiam tractatu 49. in Ioannem, paulo post init. dubitanter loquitur, dum inquit; *Ecce ipsa soror Lazari (si tamen ipsa est quæ pedes Domini vnxit vnguento, & tersit capillis suis quos lauerat lacrimis) melius suscitata est quàm frater eius: cùm de magna malæ consuetudinis mole est liberata. Erat enim famosa peccatrix: & de illa dictum est, Dimittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum.* Bernardus serm 2 de Assumpt. B. Mariæ Deiparæ, dicit in euangelio illius diei nullam fieri mentionem Lazari, eo quòd per illum pœnitentia significetur. quo indicat, Mariam sororem eius non fuisse illam peccatricẽ. alioqui enim per illam in primis fuisset significata pœnitentia. His adde, quòd cùm vita actiua significata sit per virginem sanctam, nimirum per Martham: multo magis per virginem significata est vita contemplatiua. Ea autem significabatur per Mariam sororem Marthę: quæ Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius; Martha distenta & satagente circa ministerium hospitale. Luc. 10.

Quibus de causis non est mirum quod Origenes in Canticum cantic. homil. 2. earum quas vertit B. Hieron. sub finem, ita loquitur de Maria quæ Ioan. 12 narratur vnxisse pedes Domini, vt nullam omnino faciat mentionem peccatricis quæ prius Dominum vnxerat.

Ad tertium quod attinet, S. Lucas Euangelij sui cap. 10. vbi ait, *Et huic erat soror nomine Maria,* &c. sic de ea loquitur quasi prius nullam eius mentionem fecisset: & tamen nominauerat Mariam Magdalenã cap. 8.

Item Euangelistæ sororem Lazari non aliter nominant quàm Mariam, nullo addito epitheto; quum autem loquuntur de Magdalena, semper hoc cognomentum addunt, nominantes expressè Mariam Magdalenam. Matth. cap. 27. & 28. Marcus, cap. 14. & 15. Lucas, dicto c. 8. & 24. Ioannes c. 19. & 20.

Rursum, Matthæus & Marcus scribentes de muliere

quæ

quæ Dominum, instante iam passione ipsius, vnxit, eam non nominant; vt nec alibi vllam nominatim faciunt mentionem Mariæ sororis Lazari & Marthæ: at Mariam Magdalenam assiduè nominant, vbi de passione & resurrectione Domini texunt historiam. Cur autem priore loco, vbi memorabile illud eius factum referunt à Domino defensum & laudatum, nomen ipsius tacuissent, quod postea in factis non magis celebribus erant expressuri; si & illud vnctionis nobile factum esset Mariæ Magdalenæ?

Clemens Constitut. apostolic. lib. 3 c. 6. manifestè, vt duas diuersas, commemorat Mariam sororem Lazari, & Mariam Magdalenam. In quem locum scribens eruditissimus vir Franciscus Turrianus, multis ostendit esse tres diuersas, Peccatricem, Mariam Magdalenam, & Mariam sororem Lazari; addens sese ea libertate vti eo quòd nihil ab Ecclesia hîc sit definitum. quod nonnulli recentiores nimis audacter asseuerant.

Item, Mariam sororem Lazari fuisse virginem non est cur dubitetur: Magdalenam autem fuisse viduam, habet author Commentarij in Marcum (ad cap. 15.) qui extat inter opera Hieronymi. Quod sanè non est improbabile. Aliæ enim mulieres quæ Christo ministrarunt, maritos vel habebant vel habuerant; vt Maria Iacobi, Ioanna, Salôme. Et decet viduas honestas, si facultates suppetant, ex ijs ministrare seruis Dei.

Atque hæc istorsum sint allata, vt non miremur quod veteres Ecclesiæ Doctores, plures faciant hasce sanctas mulieres, duas nimirum, aut etiam tres: Origenes, Basilius Seleuciæ episcopus, Titus episcopus Bostrorum, Theophylactus, & Euthymius, locis indicatis: & Macarius Ægyptius homilia 12. apud Turrianum. Ex recentioribus autem, præter Iacobum Fabrum (cuius opus de tribus Magdalenis Ecclesia censuit corrigendum quibusdam locis) & eos quos indicauimus, inter quos eminet Turrianus, est etiam Nicolaus

nus Zegerus Scholijs in cap, 11. Ioannis. Illud addere debeo, quod opinio quæ has mulieres facit plures, bonis rationibus multiplicat numerum sanctarum mulierum; ideóque occasionem præbet ecclesię filijs Deum in pluribus laudandi. Et iuxta hanc opinionem, neque aliena peccata tribuuntur alijs, neque alienę laudes.

Additio Censoris.



HOc tamen non est probandum, quod & veterum & recentiorum nonnulli, existimarunt tres, aut saltem duas, esse mulieres, quæ in euāgelio habeant cognomentum Magdalenæ. Eusebius Cæsariensis in epistola ad Marinum, apud Turrianum loco citato, narrat, nec tamen approbat, fuisse suo tempore qui opinarentur duas fuisse Marias Magdalenas; quarum altera a Domino iam resuscitato audiuerit, *Noli me tangere*; altera verò occurrentis Domini pedes tenuerit cum Maria Iacobi. Ioan. 20. Matth. 28.

Idem retulit S. Hieron. q. 4. ad Hedibiam, nec probat S. Ambrosius in 24. Lucæ hanc putat facillimam viam conciliandi Matthæi & Ioannis narrationes, si dicantur fuisse duæ diuersæ, quæ vt nomen Mariæ, sic cognomen habuerint Magdalenæ. Photius verò apud Turr. opinatur fuisse tres Marias Magdalenas: duas, peccatrices; tertiam, sororem Lazari & Marthæ, non peccatricem sed pietate claram. Quæ opiniones in euangelio non habent fundamentum; vt facile est volenti aduertere, ratiocinari; & aliorum veterū sententijs repugnant. Potuit tamen fieri, vt etiam Maria soror Lazari, & illa peccatrix sit cognominata Magdalena, non quidem in historia euangelica, sed à populo Christiano. Nam vsus fidelium quædam ex sacris literis pe-

ris petita nomina propria vel appropriata, facit communia; & contrà, quædam communia facit propria. Tres fuisse Marias quæ cum aromatibus ad sepulcrum Domini venerint, communis est vox fidelium: in euangelio tamen illa tertia non Maria nominatur, sed Salôme dumtaxat. Verùm consuetudo fidelium ei nomen dedit Mariæ; quod retinetur etiam in Martyrologio Romano, Die 22. Octobris Nomen Marthæ in vulgari Teutonum Christianorũ lingua factum est commune, vt significet ancillam Contrà autem, nomen Angeli, nomen Christiani, quàm multis est proprium? Potuit etiam fieri, vt Maria soror Lazari à Christianis dicta sit Magdalena, ab alio quopiam loco, quàm illa Magdalena euangelica, iuxta ea quę sunt apud Baronium Anno Christi 32. sect. 23. videlicet à Magdal-gad oppido in tribu Iuda, cuius meminit scriptura Iosue 15. vel à Magdalo apud Ægyptum, de quo Exodi 14. in princip.

Postremò, potest fieri vt sub vno festo tres illas sanctas veneretur Ecclesia, intendens singulis adaptare sua; licet id plebs per se non assequatur: vt scilicet hîc tres sanctæ accipiantur velut vna, sola commemoratione; reipsa autem tres diuersæ fuerint, & diuersæ fuisse ab Ecclesia seu ecclesiasticis viris, intelligantur. Cui rei illud non est dissimile, quòd Ecclesia sub vno nomine Epiphaniæ Domini, tria diuersa commemorat miracula & beneficia Domini: Adorationem Christi à Magis factam in Bethlehem, Christi Domini baptismum, & miraculum aquæ in vinum conuersæ in Cana Galilææ: quæ tria neque constat neque est verisimile, diuersis licet annis, eodem die contigisse; Imo, eodem anno quo Dominus fuit baptizatus, hoc miraculum fuisse factum, ac proinde alio die, probat Baronius anno Christi 31. sect. 34. & sequentibus. Ecclesia tamen canit, *Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus, hodie stella &c. hodie vinum ex aqua &c. hodie in*

Iordane

Iordane &c. Imò, in alia antiphona ita canit quasi & eodem anno & eodem die omnia hæc contigissent: hoc modo; *Hodie cælesti sponso iuncta est Ecclesia: quoniam in Iordane lauit Christus eius crimina: currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias: & ex aqua facto vino lætantur conuiuia.* Quum tamen certissimum sit non esse mentem Ecclesiæ aliam, quàm quòd istorum trium vno die fiat commemoratio: sicut & Baronius interpretatur, vbi proximè citatus est, sectione 34. in fine.

Atque hæc ideo dicta sint, ne vel recentiorum opinioni quis faueat tres euangelicas Magdalenas ponentium: vel officium ecclesiasticum die 22. Iulij, audeat reprehendere; vel damnare velit viros pios & doctos seu veteres seu neotericos, qui tres sanctas mulieres in narrationibus euangelicis agnoscunt; Illam quondam peccatricem, Mariam sororem Lazari, & Mariam Magdalenam in euangelio sic cognominatam.



ORATIO



ORATIO DECIMA QVINTA.

Vtrùm in conſecratione calicis aqua vino mixta conuertatur immediatè in ſanguinem Dominicum.



ANTE menſem vnum aut alterum, auditores ornatiſſimi, inter quoſdam ſcholæ noſtræ baccalaureos mota eſt quæſtio: Vtrùm in conſecratione calicis aqua vino mixta conuertatur immediatè in ſanguinem Dominicum. Quæſtioni dedit occaſionem Illuſtriſſimus

mus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis bonę memoriæ Cæsar Baronius, qui in tomo suorum annalium Ecclesiasticorum duodecimo, ad annum Domini 1188, refert Gaufredum quendam S. Bernardi in Claravalle monachum, per literas consuluisse Cardinalem Albanensem episcopum & Domini Papæ vicarium, de huiusmodi quæstione tunc recenter in Gallijs ventilata: alijs affirmantibus hanc aquæ conuersionem in Christi sanguinem, alijs verò negantibus. Quamuis enim immediatæ conuersionis in ea epistola non fiat mentio; constat tamen ex serie narrationis, atque ex rationibus vtriusque partis quas adfert; denique ex eo quia casum ponit, etiamsi quantitas aquæ prę ualeat; constat, inquam, ex his, de immediata conuersione aquæ in sanguinem eum loqui. Quoniam verò memorati Cardinalis Albanensis ad eam Gaufredi epistolam nullum extat rescriptum, sed nec apud vllum Theologorum legisse memini tractatam ex professo eam quæstionem; putaui rem me facturum nec inutilem S. Theologiæ studiosis, nec vobis auditoribus qui ad has Vesperias conuenistis, ingratam; si breui oratione coner explicare, prius allatis in medium vtriusque partis argumentis ac rationibus, quid de hac quęstione tanquam probabilius & verius tenendum videatur. Vbi primùm distinctione opus est. Aut enim

enim aqua vino infusa conuertitur in vinum ante consecrationem, aut non conuertitur: Si conuertitur; nulla dubitatio est, quin per consecrationem simul cum reliquo vino transsubstantietur in sanguinem. Quòd si non conuertitur aqua in vinum ante consecrationem, sed ex vtroque commixto tertium quid ac diuersum gignitur (hoc enim fieri per naturam posse iuxta rationem mixtionis, supponunt doctores) Sic e diuerso nulla dubitatio est, per consecrationem nihil effici, imò consecrationem nullam esse. Non enim adest materia quę consecretur. Si verò non conuertitur, sed aqua remanet vsque ad consecrationem; iam locum habet quęstio quę post Gaufredum à nobis mouetur: vtrùm ea aqua simul cùm vino cui admixta est, per consecrationem transeat in sanguinem. Ac ne casum hunc rarum quis existimet, propterea quòd diligens à sacerdotibus adhiberi soleat cura, ne plus admisceatur aquæ, quàm quod citò ac facilè à vini natura absorberi queat: sciendum est huius rei, quantum apparet, apud veteres curam non fuisse. Quod intelligi potest primùm ex epistola B. Cypriani ad Cæciliũ scripta contra Aquarios, in qua id solum agit, vt non sola aqua adhibeatur in mysterijs, sed vtrumque simul, vinum & aqua; de quantitate aquæ adhibendæ nihil solicitus. Deinde ex alijs veteris Ecclesiæ decretis

S. Thomas concedit; negat Vitriacus

Epist. 63. alias lib. 2. ep. 3.

cretis & canonibus, qui de quantitate aquæ vino apponendę nihil pręſcribunt: niſi quòd in concilio Triburienſi, quod habitum fuit anno Domini 895, decretum eſt can. 19, ſic aquam vino permiſcendam eſſe, vt duæ partes ſint vini, tertia verò aquæ: addita hac ratione, quia maior eſt maieſtas ſanguinis Domini, quàm fragilitas populi qui per aquam deſignatur. Multò autem pòſt, id eſt, circa annum Domini 1200, Innocentius 3. lib 4. myſteriorum miſſæ cap. 30, cùm quęreret, Quid autem ſi plus apponatur aquæ quàm vini, erit irritum ſacramentum? reſpondet: Oportet quidem quòd tantum vini ibi ponatur, quòd aqua commixtum ſaporem vini retineat. Nec plura addit de aquæ quantitate vino apponenda. Sed & Cardinalis eiuſdem temporis Vitriacus, hoc tantùm dicit, ſemper plus vini, minus aquæ debere apponi Quod & Honorius 3. qui Innocentio tertio proximè ſucceſſit, de eadem re ad quendam archiepiſcopum ſcribens, ſuo decreto confirmauit; vt habetur extrà, De celebratione miſſarum. *Pernicioſus, inquit, in tuis partibus inoleuit abuſus, videlicet quòd in maiori quãtitate de aqua ponitur in ſacrificio, quàm de vino: cùm ſecundum generalem conſuetudinem Eccleſiæ generalis plus in ipſo ſit de vino, quàm de aqua ponendum: Ideóque fraternitati tua mandamus, quatenus id non facias, nec in tua pro-*

R *uincia*

uincia fieri patiaris. Quibus in verbis tantùm dicitur, plus esse ponendum de vino: non autem, longè plus, sicut hæc verba, nescio cuius errore, citata inuenio in catechismo Romano. Rationem verò pontifex aliam non adiecit, nisi ex consuetudine Ecclesię generalis. Vbi glossa: *Credamus,* inquit, *quod hæc consuetudo à sanctis Ecclesiæ patribus fuit instituta.* Moxque subdit: *Et ita solo vsu antiquorum Patrum ponitur plus de vino, quàm de aqua.* Deinde prosequitur: *Et alia ratio posset assignari, quia vinum delectabilius est ad bibendum quàm aqua: & ideo ponitur plus de vino quàm de aqua; Nam si plus poneretur de aqua, non transiret ita suauiter: &, ne horrorem generaret, vnde posset periculum imminere, quia aqua malum stomachum facit.* Ita suauis ille & facetus glossator: ne dicam nugator. Atqui meliorem & veriorem rationem nos postea proferemus. Illud addo, non solùm curam non fuisse prioribus illis sæculis de perpusilla quantitate aquæ apponenda: verùm neque hoc curatum, vt tempestiuè, sicut loquuntur, id est, ante missam inchoatam, hæc admixtio fiat: licet hodie multorum vsu id receptum sit, velut fratrum Dominicanorum & aliarum quarundam Ecclesiarum, vt testatur Dominicus Sotus in 4. dist. 9. sub finem quæstionis primæ. Sed vsus ille recentior est: quemadmodum & ille, de quo Gabriel in ex-

positione

positione canonis missæ, vt ante euangelium aqua apponatur; ac meritò præferendus hac in parte mos Ecclesiæ Romanæ, qui habet, vt ea mixtio demum fiat imminente oblatione, id est, quando sacra mysteria inchoantur. Et ita oportere fieri docet S. Thomas, & ex eo Syluester. His accedit quòd, quemadmodum testatur Iacobus à Vitriaco Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, si vinum aqua mixtum fuerit, vinum per artificium separari potest ab aqua. Quod & Innocentius 3. in capitulo, *Cùm Martha*, commemorat à physicis affirmari. Quanquam non necesse est ad physicos recurrere: quandoquidem id etiam hodierna œnopolarum praxis comprobat. Ex quibus satis intelligitur, non adeò rarum aut esse aut fuisse, vt aqua calici infusa & vino mixta, maneat aqua vsque ad consecrationem: dum videlicet aut plusculum aquæ infunditur, aut inter infusionem & consecrationem non satis temporis intercedit, vt tota in vinum conuerti possit; præsertim cùm vinum tenuius est ac debilius; maximè si iam acescat; qui casus nequaquam infrequens est. Alioquin, extra hos casus æquum est, vt valeat quod dicit Innocentius lib. 4. mysteriorum missæ, capite 39. *Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum infunditur aqua?* His ad quæstionis intelligentiam & explicationem præmissis;

De celebra. Miss.

 nunc

nunc vtriusque partis argumenta proferenda sunt, partim ea quæ in epistola Gaufredi continentur, partim quæ apud alios reperimus: ac primùm quidem partis affirmantis argumenta, deinde negantis. Igitur pro affirmante primus adducitur testis S. Cyprianus, cuius in epistola ad Cæcilium hæc sunt verba: *Sic calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque sibi misceatur; quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrumque adunatum fuerit & copulatum.* Ex quibus verbis consequi videtur vinum sine aqua sibi admixta, siue ea prius in vinum conuersa fuerit, siue non, in sanguinem Domini nunquam transmutari. Sequitur Ambrosius, cuius non paulo clariora sunt verba lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & 5. *Didicisti*, inquit, *quòd ex pane fiat corpus Christi: & quòd vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.* Item; *Ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: Vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.* Hæc Ambrosius, perinde de vino & aqua loquens, quod ad consecrationem attinet. Citat præterea Gaufredus Hieronymum super caput 14. Marci, ita scribentem: *Formans Dominus sanguinem suum in calicem vino & aqua mixtum; vt alio purgemur à culpis, alio redimamur à pœnis.* Citat & Augustinum in tractatu de baptismo,

dicen-

dicentem: *Vnde & aqua mittitur in calicem, & fit sanguis consecratione verbi cælestis*. Verùm de commentario in Marcum, qui fertur inter opera S. Hieronymi, satis inter doctos conuenit, illius non esse, sed anthoris incogniti. Quæ autem verba citat Augustini titulo, apud eum non inueniuntur, suntque eadem penè cum verbis Ambrosij, quæ iam audiuimus. Proferuntur deinde eorum testimonia, qui post exortā Berengarij hæresim, & cōtra eam scripserunt, Hildeberti & Algeri. Paschasius autem his antiquior in libro de corpore & sanguine Domini capite 11. de aqua quæ cum vino miscetur in sacrificio, disserens, hæc scribit: *Licet prius mysticè vinum & aqua commisceatur; post consecrationem tamen non nisi sanguis bibitur*. Et paulo post: *Non inconuenienter aqua consecratur; non quòd aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem*. Et rursum nonnullis interpositis: *Constat igitur, quia etsi tria ponuntur, (scilicet panis, vinum & aqua) nō nisi caro & sanguis postea rectè creaitur*. Hæc Paschasius. in quibus illud præcipuè notandum, quod dicit aquam consecrari & verti in sanguinem. Si enim consecratur aqua; manet igitur vsque ad consecrationem aqua: vt per consecrationem vertatur in sanguinem. Vnde Gaufredus hoc Paschasij testimonium euidens appellat. Vbi tamen Gaufredus in hoc sine dubio fallitur, quod dicit B. Papam Gre-

gorium in libro Dialogi, magnum huic Paschasio sanctitatis perhibuisse testimonium. Locus est lib. 4. Dialogi cap. 40. Fallitur, inquam, manifestè. Non enim de hoc Paschasio, qui nondum erat, locutus est, aut loqui potuit Gregorius: sed de Paschasio Romanæ Ecclesiæ diacono, cuius exstant libri de Spiritu-sancto; Hic verò Paschasius, cognomento Ratbertus, abbas fuit monasterij Corbeiensis, penè quadringentis annis illo Romano posterior. Porrò Hildeberti Cenomanensis Episcopi (qui Trithemio teste, Berengarij Turonensis aliquando discipulus fuerat, sed postea factus persecutor erroris) ex libro de Sacramento altaris, qui hodie non exstat, hæc verba refert Gaufredus: *Aqua in sanguinem vertitur, vt populus qui per aquam figuratur, in melius se mutatum intelligat*. Algerus, eadem cum Paschasio scribens, lib. 1. de Sacramento altaris cap. 19. *Sciendum est*, inquit, *quia licet prius mysticè vinum & aqua misceatur, post consecrationem tamen non nisi sanguis bibitur*. Huc vsque testes à Gaufredo producti: quibus haud dubiè ex Græcis Patribus Ioannem Damascenum adiunxisset, si illi notus, aut saltem lectus fuisset. Nos igitur eius verba ponamus, quæ sunt in lib. 4. de orthodoxa fide cap. 14. vbi loquensde Domino suis discipulis tradente mysteria, sic ait: *Accipiens calicem ex aqua & vino, tradidit illis*

dicens:

dicens: *Bibite ex hoc omnes: Hic meus est sanguis &c.* Moxque affirmat Dominum panem sui ipsius corpus facere, & vinum & aquam, sanguinem. *Et quomodo*, inquit, *panis fit corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi?* Ac deinde: *Quia mos est hominibus panem manducare, & vinum & aquam bibere; coniunxit his ipsam suam diuinitatem, & fecit hæc suum corpus & sanguinem.* Hæc & alia in eandem sententiam eo loco Damascenus. Denique his testimonijs adiungatur, si placet, Innocentius ipso Gaufredo posterior, vt ne mireris ab eo non esse allegatum. Qui pontifex consultus ab Archiepiscopo Lugdunensi super hac quæstione, Vtrùm aqua cum vino in sanguinem conuertatur: cùm plures scholasticorum attulisset responsiones, vt patet ex capitulo *Cùm Martha*, extrà, De celebratione missarum; ita tandem resoluit: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari; vt expressius eluceat proprietas Sacramenti. Nam cùm aqua multa, sint populi multi; ideo vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur. Per hoc enim quod suscepit ipse de nostro, & accepimus ipsi de suo; tam insolubili nexu coniungimur, vt qui est vnum cum Patre per ineffabilem vnitatem, fiat vnum nobiscum per admirabilem vnionem: ac per hoc, ipso communiter mediante cum Patre, vnum efficimur.* Hæc

 ille.

ille. Sed quia testium & testimoniorum satis; audiantur & rationes, quibus hæc opinio partis affirmantis fulciri videtur. Sunt autem hæ quatuor: quarum prima colligitur ex Cypriano, estque apud Gaufredum, qui eam his verbis exponit: *Aiunt*, inquit, *quòd dum substantia aquæ, quæ ad conficiendum panem miscetur similæ, post consecrationem aqua non maneat; incongruum fore videtur, vt mixta vino similiter in consecratione non mutetur*. Secunda ratio sumitur ex significatione mystica, & insinuatur ab Innocẽtio Papa, verbis paulò antè recitatis. Nam aqua vino mixta in sacrificio, populi fidelis cum capite Christo vnionem repræsentat. Quod & à Cypriano traditum est, & ab alijs Patribus: ac repetitum in Cõcilio Tridentino sess. 22. cap. 7. Atqui fidelis populi naturalis est vnio cum Christo capite, sic vt vnum corpus constituant; igitur ad hanc vnionem significandam oportet aquam simul cum vino in Christi sanguinem transmutari. Nam alioqui, populus, qui per aquam significatur, remanebit à Christo diuisus ac seiunctus. Tertia ratio huiusmodi est: si aqua relinquitur in calice post consecrationem: igitur sacerdos hausto calice, non erit ieiunus; & proinde eodem die, in casibus alioqui concessis, iterum sacrificare & communicare non poterit: nihilo magis quàm is, qui post communionem sumpserit ablutionem.

nem. Adfert hanc rationem Innocentius tertius lib. 4. mysteriorum missę cap. 29. & S. Thomas in 4. dist. 11. q. 2. & Gabriel super canonem missæ. Quarta ratio, & ea potissima, desumitur ex adoratione. *Nam*, vt ait Dominicus Sotus in 4. dist. 9. quæstione 1. sub finem, *si solum vinum consecraretur, & aqua maneret illic in substantia aquæ; hoc esset plebem seducere, quæ adorat quicquid substantia sub illis accidentibus reconditur*: *tametsi*, inquit, *per ignorantiam excusaretur. Verùm sacerdos immane sacrilegium committeret; præsertim si prudens & sciens id faceret*. Ita Dominicus, non quidem sentiens aquam vino mixtam immediatè conuerti in sanguinem: sed aliud agens, vt videlicet tantillum aquæ vino misceatur, quod facilè possit transire in vinum. Qua de re postea nobis aliquid dicendum erit. Nunc verò hac ratione id agitur, vt credatur aquam, etiam prius non conuersam in vinum, tamen ipsa consecratione conuerti in sanguinem. Nam alioqui fatendum esset maiores illos nostros & antiquiores, quibus non tanta fuit cura permodicum aquæ miscendi cum vino, quando nec canones Ecclesiæ id exigebant; istius immanis sacrilegij, (quemadmodum loquitur Dominicus) reos esse constituendos. Quod absit vt dicamus. Hæc igitur sunt, auditores, quæ quæstionis initio propositæ partem affirmantem, aut veram,

ram, aut vero admodum propinquam ostendere videantur. Atque id quo magis appareat, audite quid post finem epistolæ supradictæ, suis verbis subiiciat Illustrissimus Cardinalis Baronius. Gaufredus quidem epistolam suam ita concludit: *Ac proinde placeat vestræ dignationi cum Dominis nostris fratribus vestris super hoc verbo, cùm opportunum tempus adfuerit, diligenti collatione tractare: vt authoritas S. Romanæ Ecclesiæ definiat, quid super hoc credi debeat, vel doceri.* Tum prosequitur Baronius; *Quid autem rescripserit ad petitam consultationem Cardinalis Episcopus Albanensis, non inuenimus: Sed aliud rescribere non potuisse certum est, quàm quod credidit & custodiuit semper S. Romana Ecclesia: nimirum aquam simul & vinum transsubstantiari in sanguinem Christi.* Sic ille. Quod si verum est; quid amplius quærimus? Sed quia iudiciorum lex est, audire & alteram partem: integrum vestrum, auditores, iudicium seruate in diem crastinum (fatigati enim nunc estis, & hora præterijt) quò diuersæ partis argumentis auditis & intellectis, sereniorem & instructiorem ad iudicandum animum adhibere possitis.

Anno 1610. 5. Nouemb.

ORATIO

ORATIO DECIMA-SEXTA.

Oratio secunda de eodem argumento.



SAtis hesterna die, quantum arbitror, auditores ornatissimi, in vnam partem quæstionis quam tractandam suscepimus, disputatum est; huius, inquam, quæstionis, *Vtrum in consecratione calicis aqua vino mixta conuertatur immediatè in sanguinem Dominicum*. Proximum nunc est, vt diuersæ partis, id est, negatiuæ, rationes & argumenta proferamus. Id enim in hunc diem dilatum erat. Igitur

Igitur illud hoc loco præcipuè díſpiciendum eſt, quænam ſit materia conſecrationis calicis; vtrùm vinum ſolum, an etiam aqua. Diſpiciendum, inquam, quid ſcriptùra ſacra, quid Patres, quid Patrum concilia, quid ſcholaſtici doctores ſuper hac re nobis traditum aut ſcriptum reliquerint. Quòd ſi non aliam agnoſcant conſecrandi calicis materiam quàm vinum; certiſſima conſequentia eſt, aquam vino mixtam immediatè in ſanguinem Domini conuerti non poſſe. Nam illud dicitur materia in hoc Euchariſtiæ Sacramento, quod in ipſum Sacramentum immediatè tranſmutatur. Atqui vinum, non aquam, eſſe calicis conſecrandi materiam; primum, ex Euangelica narratione docetur; vbi poſt datum diſcipulis calicem, dicit Dominus: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*. Mat. 26. Super quibus verbis Chryſoſtomus homilia 83. *De genimine vitis*, inquit, *quæ certè vinum, non aquam producit*. In quo hæreſim eorum euellere voluit, qui aquâ in his myſterijs vtuntur. Ita Chryſ. vbi cùm dicit, aqua, intellige pro materia; præſertim ſi ſola aqua vterentur. Quod faciebant Aquarij, contra quos ſcribit Cyprianus. Si dicas vinum illud quo Chriſtus vſus fuit, in conſecrando ſanguine ſuo, fuiſſe mixtum aqua; negare non poſſumus. Id enim conciliorum Florentini & Tridentini verbis & Sanctorum

Pa-

Patrum testimonijs consentaneum est. Verùm non ideo consequens, aquam esse huius Sacramenti materiam. Nam mixtionis aliæ sunt causæ, quas ex Patribus adferunt memorata concilia: velut repræsentatio Dominicæ passionis, in qua sanguis & aqua ex latere Christi profluxisse leguntur; nec non repræsentatio vnionis populi fidelis cum capite Christo, de qua aliàs. Quòd si aqua, perinde vt vinum, tanquam materia huius Sacramenti instituta fuisset à Christo: studiosè nobis agendum esset, vt vino tanta apponeretur aquæ copia, cui vinum præualere non posset; nimirum vt locus seruaretur consecrationi, qua, iuxta Domini institutionem, aqua in sanguinem verteretur; more videlicet aquarum Ægyptiarum, quas virgâ percussas Moyses in sanguinem conuertit. Exodi 7. Deinde, quid vetaret aquam seorsum posse consecrari, (sicut Aquarij faciebant) etiam his verbis: *Hic est calix sanguinis mei*? Maximè si qua necessitas vrgeret, velut in regionibus admodum septemtrionalibus, quibus vinum neque nascitur, neque aduehitur. Non enim mutilum esset sacrificium, aut imperfectum Sacramentum, vbi esset & gemina species, panis scilicet & aquæ: & sub vtraque specie res contentæ prorsus eædem quæ sub speciebus panis & vini. Sed cùm hæc adeo sint absurda, vt nec in mentem

facilè

facilè cuiquam venerint; explodi profectò necesse est opinionem, quæ aquam consecrandi calicis facit materiam. Sanè si panis solus materia est consecrandi corporis Dominici: quomodo non etiam vinum solum materia consecrandi sanguinis, siue mixtum fuerit aquâ, siue non? Nam Patres, vt mixtionem requirunt, ita nusquam dicunt aquam quæ admiscetur, huius Sacramenti materiam esse: sed plærisque in locis magis contrarium significant. Iulius Papa eius nominis primus, vt citatur apud Gratianum, De consecrat. dist. 2. *Manifestum est*, inquit, & euidens exemplum veritatis euangelicæ illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non licet. Augustinus in libro sententiarum Prosperi, vt citatur eodem loco: *Fateamur, ante consecrationem panem esse & vinum quod natura formauit; post consecrationem verò, carnem Christi & sanguinem, quæ benedictio consecrauit.* Per idem tempus Patres concilij Carthaginensis 3. can. 24 ita statuunt: *Vt in Sacramentis corporis & sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aquâ mixtum.* Ac ne putes etiam aquàm esse materiam, quia dixerunt vinum aqua mixtum; ita subiungunt; *Nec amplius in sacrificijs offeratur, quàm de vuis & frumentis.* Non addunt, de aqua. Patres concilij Triburiensis can. 19. statuentes aquam

cap. 41.

sic

sic esse cum vino miscendam, vt duæ partes sint vini, vna verò aquæ, sicut in hesterna oratione diximus; hanc addunt rationem, quia maior est maiestas sanguinis Domini, quàm fragilitas populi, qui per aquam designatur. Sentiunt ergo, solum vinū, non etiam aquam, in sanguinem conuerti. Patres Synodi Trullanæ, can. 32. morem Armeniorum corrigentes, qui propter verba Chrysostomi, quæ suprà citauimus, malè intellecta, solo vino vtebantur in mysterijs; dicunt inter alia, incruentum sacrificium peragi ex precioso redemptoris sanguine & aqua. Qui sic loquuntur, non existimant aquam conuerti in sanguinem. Et quoniam ad Græcos deflexímus, quamuis schismaticos: ex facto & opinione eorum aliud accipite argumentum. Quamuis ex Ioanne Damasceno, heri citato, constet Græcos solitos admiscere aquam vino ante vini consecrationem; posteriores tamen Græci, quorum ritus sequuntur Moscouitæ, veteri mutata, quantum apparet, consuetudine, vino iam consecrato affundunt aquam calidam, dicentes illud euangelicum: *Et continuò exiuit sanguis & aqua.* Non ergo intendunt quod aqua transeat in sanguinem. Neque enim transire posset cōsecratione iam peracta. Sed desideratis, auditores, apertiora & expressiora documenta huius sententiæ; neque vultis ad schis-

Vide Can. 32. Syn. Trull.

ma-

maticos remitti. Ergo reuertamur ad Catholicos & apertiora testimonia proferamus. Petrus quidem Lombardus, vt habet epistola Gaufredi, aquæ mutationem in vinum neque asseruit expressè, neque negauit: quia non ei quæstio hæc in mentem venit: Verùm contemporaneus eius Hugo à S. Victore mouet eam, quæstione 93. in 1. epistolā ad Corinthios. Quærit enim, an aqua cum vino mutetur in sanguinem: & responsio eius est; *Dicunt quidam quod mutatur: Nobis autem videtur quod non mutatur; quod à magistro Acardo accepimus.* Loquitur autem de aqua non in vinum conuersa. Post huius tempora, Iacobus à Vitriaco Romanæ Ecclesiæ Cardinalis in historia rerum occidentalium cap. vlt. mota quæstione de aqua vino apposita, quæ tamen à vino non absorbetur, Vtrùm ea remaneat; aut quidnam de ea fiat: reiectis quorundam opinionibus quas commemorat, ita respondet; *Nobis autem videtur, quòd partium natura remaneat, (intellige vsque ad consecrationem): Nam vinum per artificium separari potest ab aqua. Vnde vinum transsubstantiatur (per consecrationem) aqua in sua natura manente.* Et declarat à simili: *Sicut,* inquit, *si granum hordei cum frumento misceatur; quod ibi de frumento est tantùm transsubstantiatur.* Hæc ille. Vixit autem ante annos 400. Pontifice Romano Innocentio 3. sub quo etiam lega-

legationes obiuit. Ac ne Cardinalem à Pontifice diuersum aliquid hac de re sensisse suspiceris; quid ipse Innocentius de eadem quæstione scripserit, & consultus rescripserit, videamus. Huius enim Pontificis super hac re sententiam nosse (quoniam ex eo in partem affirmantem quædam heri allegata sunt verba) valdè operæprecium est. Is igitur lib. 4 mysteriorum missæ; postquam cap. 29. quæstionem hanc sibi proposuisset, Vtrùm aqua cum vino conuertatur in sanguinem; & nonnulla ad vtramque partem argumenta, dubitantium ac disputantium more fecisset; proximo cap. respondet, in hunc modum: *Quibusdam verò non absurdum videtur quòd aqua cum vino transit in sanguinem; ea videlicet ratione, quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem transit in sanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum infunditur aquæ?* Sic ille. Vbi ad marginem annotatum est in meo codice; *Recta opinio de aqua in calice Sacramenti.* Et ne pútes ex aliena tantùm sententia loqui Innocentium, quoniam dicit, *quibusdam videtur*; attende ad illa verba: *Quis enim ambigat &c.* Igitur Innocentij sententia est, aquam cum vino transire in sanguinem, ea demum ratione, si priùs in vinum conuersa fuerit: manifestè significans non aquam sed solum vinum esse materiam

proximam sanguinis Dominici consecrandi. Dico, proximam, de qua nunc quæstio est. Nam materiam eius remotam ac mediatam, aquam dicere, nihil prohibet. Pergit Innocentius, & iterum quærendo rem magis declarat: *Quid*, inquit, *si plus apponatur aquæ, quàm vini; erit irritum Sacramentum? Oportet quidem quod tantum vini ibi ponatur, vt aqua commixtum saporem vini retineat. Licet autem diligenti studio vinum optimum sit quærendum, ut sacrificium offeratur; vicium tamen vini non maculat mundiciam Sacramenti.* Ac si dicat: Etiamsi plus aquæ fuerit appositum, aut vinum tenue sit aut acidum, vt aquam in se transmutare non possit: dummodo sapor vini remaneat, ex quo cognoscitur quod verum sit vinum; conficitur ex eo Sacramentum, aqua in sua natura manente. Cæterùm pleniùs idem Innocentius in suo rescripto, quo respondet Archiepiscopo Lugdunensi, quod incipit *Cùm Martha*, extra, De celebratione missarum, de hac re disserit: *Quæsiuisti*, inquit, *vtrùm aqua cum vino in sanguinem conuertatur. Super hoc autem opiniones apud scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur, quòd, cùm de latere Christi duo præcipua fluxerint Sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua: in illa duo, vinum & aqua quæ commiscentur in calice, diuina virtute mutantur; vt in hoc Sacramento plenè sit veritas & figura. Alij verò*

tenent

tenent quòd aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino. Et paulo pòst: *Præterea, potest dici quòd aqua non transit in sanguinem: sed remanet, prioris vini accidentibus circumfusa.* Et infrà tandem resoluens. *Verùm,* inquit, *inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari; vt expressiùs eluceat proprietas Sacramenti &c.* Quam resolutionem malè quidam intelligentes, existimarunt Pontificem sentire, quòd aqua vino mixta, siue priùs in vinum conuersa fuerit, siue non; semper vnà cum vino in sanguinem transmutetur. Sed hic intellectus contra mentem Pontificis est. Tres enim adduxerat opiniones; primam, quæ dicit vinum conuerti in sanguiné Christi, aquam verò in aquam quę fluxit ex latere eius: quæ opinio meritò reprobatur. Secundam, quæ tenet aquam cum vino transsubstantiari in sanguinem, cùm priùs in vinum transierit mixta vino. Tertiam, quòd aqua non transit in sanguinem, sed remanet, prioris vini accidentibus circumfusa. Eligit autem ex his Innocentius secundam, vt manifestum est. Quare quod dicit illam iudicari probabiliorem, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari; intellige iuxta quod dixerat, opinionem illam proponens, *Cùm in vinum transeat mixta vino.* Atque ita glossographus interpre-

tatur, *Cum vino*, Id est, vinum aquaticum. Non enim transeunt duo in sanguinem (vinũ & aqua) sed vinum quod aquam sibi incorporauit. Porro sic eligit Innocentius secundam opinionem, vt tertiam non improbet. Nam de ea dicit, *Potest dici*. Ac meritò ita loquitur: siquidem non pugnant hæ duæ opiniones; nisi quis vtramque vel alteram cum alterius exclusione intelligat; vt verisimile est quosdam intellexisse, negantes aquam in vinum conuerti posse, propterea quòd secundum physicos, vt idem refert Innocentius, aqua vino mixta per artificium, rursus à vino separari possit. Sed hoc non esse verum vniuersaliter, satis constat, & hesterna oratione monstrauimus. Igitur si aqua prius conuertatur in vinum, quod non negandum est fieri; mediatè conuertetur in sanguinem: quod vtique vult secunda opinio. Si verò priùs in vinum non fuerit conuersa (quod contingere potest); nec sanè in sanguinem conuertetur; sed aqua manebit aqua: quod vult tertia opinio. Sed dicet aliquis, Innocentij verba quibus secundam exponit opinionem, quam & approbat, ita sonare, quasi semper in vinum transeat aqua vino mixta, priusquam fiat consecratio. Non enim dicit: Si in vinum transeat mixta vino; sed, *cùm in vinum transeat*, ac si semper id fiat. Respondeo planè absurdum esse huiusmodi intellectum.

Quid

Quid enim si duplo aut triplo plus apponatur aquæ quàm vini; nunquid sentit Innocentius etiam sic aquam transire in vinum? An non ipsius verba sunt, quæ iam antè citauimus: *Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum infunditur aqua?* Igitur ex eius sententia, cùm multum infunditur, & ambigi potest, & negari. An non ibidem dicit, quod etiam audistis, si plus apponatur aquæ quàm vini, dum tamen aquâ commixtum saporem vini retineat, non fore irritum Sacramentum? Non enim dicit, modò aqua sic copiosè affusa conuertatur in vinum: sed tantum vult, vt vinum aquâ commixtum saporem vini retineat, id est, vim & naturam vini (quod ex sapore indicatur) non amittat. Nam hoc si contingeret; omnino consecratio fieri non posset. Rectè Gabriel: *Conuersio aquæ in vinum,* ait, *non fit per miraculum sicut conuersio vini in sanguinem: sed per actionem naturalem vini in aquam; quæ requirit alterationem præuiam.* Nec id Innocentius Pontifex doctissimus ignorauit. Cur igitur sic locutus est, *Cùm transeat*? Vtique propter eos, qui, sicut iam dictum est, aquam in vinum conuerti posse negabant, eo quòd post mixtionem possit adhuc arte humana separari. Transitum igitur aquæ in vinum, eo sermone confirmare voluit, vt possibilem & contingentem; non

autem vt necessarium, aut vniuersalem. Rursum dicet aliquis, Innocentium tantùm pronunciare, secundam opinionem esse probabiliorem; imò nec esse, sed iudicari talem: igitur licebit ab ea recedere, sequendo diuersam opinionem, etsi minus probabilem. Respondet glossa, siue definiat vt papa, siue proponat vt doctor; opinionem eius esse amplectendam. Sed plenior responsio erit: Quamuis ad suam opinionem, de qua modestè loquitur Pontifex, hoc suo rescripto neminem cogat, (Res enim adhuc apud multos, propter apparentiam rationum, quæ ferebantur in vtramque partem, versabatur in quæstione, alijs hoc, alijs aliud dicentibus, quod & Innocentius in principio sui rescripti fatetur, & declarat epistola Gaufredi hestema:) adeo bonis tamen & firmis eam opinionem niti rationibus, & sanctorum testimonijs, vt ab ea recedere prorsus non liceat; præsertim hoc nunc tempore, posteaquam & scholasticorum omnium consensu, qui Innocentio fuere posteriores, & conciliorum decretis, ea sententia satis est confirmata. Nam quod ad scholasticos attinet doctores, affirmat Gabriel lectione 35. super canonem missæ, quòd eam opinionem quam Innocentius dicit probabiliorem, communiter sequuntur doctores Theologiæ, S. Thomas, Scotus & cæteri, tanquam indubitatam.
Si

Si tamen, inquit, sic intelligitur, quòd aqua post admixtionem cum vino, per actiuitatem vini transit in vinum, & facta vinum conuertitur in sanguinem Christi. Sic autem intelligendum esse, iam ex ipso Innocentio ostendimus. Legantur quæ scribit S. Thomas in 4. dist. 11. q. 2. ar. 4. & in summa parte 3. q. 74. ar. 8. quibus locis, Innocentij secutus authoritatem, docet oportere, quòd aqua consumatur à vino, ad hoc, vt ex parte sanguinis sit tantùm vna species; sicut ex parte corporis: ideoque non debere aquam in magna quantitate apponi, additque expressè, si aqua non prius conuertatur in vinum; non eam conuerti in sanguinem. Nec aliter S. Bonauentura in 4. dist. 11. q. 2. ar. 3. vbi docet aquam non esse huius Sacramenti materiã, sed aliquid annexum materiæ, scilicet vino; quia adiungitur vino, & in ipsum conuertitur, & postmodum in sanguinem. Scotus in 4. distinct. 11. in fine. Vino apponere aquam non est simpliciter necessarium de necessitate Sacramenti: quia etiam quando apposita est, non conuertitur in sanguinem, nisi prius conuersa in vinum. Idem significat Paludanus in eandem dist. 11. libri 4. q. 1. art. 6. conclus. 2. & expressè tradit ibid. conclus. 5. his verbis; Aqua debet apponi in modica quantitate; & ita diu ante consecrationem quòd fuerit conuersa in vinum: quia

aliter ipsa manens aqua non est materia Sacramenti, sed effecta vinum. Richardus à Mediavilla in eandem dist. libri 4. De tertio principali, q. 3. Aqua si ante consecrationem sanguinis non est conuersa in vinum; non conuertitur in sanguinem. Non enim conuerti potest in sanguinem, nisi prius conuertatur in vinum. Et quæstiuncula 5. est ibi hæc; Vtrùm commixtum æqualiter ex aqua & vino conuertatur in sanguinem Christi. Respondet, Æqualis commixtio ex aqua & vino potest fieri secundum æqualem quantitatem molis ipsorum mistorum; aut secundum æqualem proportionem virtutis. Priore modo, aqua non solueret speciem vini, eo quòd vinum sit magis actiuũ quàm aqua; nec generaretur natura tertia ex duobus: nec vinum posset aquam citò conuertere in naturam suam, quamuis satis cito alteraret in excellentijs suarum qualitatum accidentalium. Et sic, dico quod per formam consecrationis vini, sola substantia vini transsubstantiaretur in sanguinem.

Idem sensisse Guilielmum Altissiodorensem his antiquiorem, patet ex Summæ eius libro 4. De Sacram. Eucharistiæ capitulo 2. vbi ait, Vinum & aqua simul sumpta transsubstantiantur in sanguinem Christi. Et infrà, Sciendum autem quòd aqua apponenda est in tam parua quantitate quòd possit

absorberi à vino. Eadem est sententia reliquorum Theologorum, etiam eorum qui de casibus conscientiæ scripserunt, quos Summularios vocant. Hinc illa praxis sacrificantium, ab ijsdem præscripta & concilij Florentini decreto probata, quæ per totam obtinet Ecclesiam, vt aqua modicissima (sic enim loquitur illud decretum) vino admisceatur. Nam ante tempora Innocentij constitutum quidem fuit vt plus vini quàm aquæ poneretur in calice; hac nimirum ratione, ab ipso Innocentio, & Vitriaco, alijsque multis reddita, atque etiam annotata in Rubricis Missalis Romani; ne aquę copia virtutem vini exstingueret: Cæterùm post ea tempora, postquam res in disputationem adducta est; vt ne quid aquæ prorsus in calice remaneret non conuersum in sanguinem, necessariò recepta est & inualuit per Ecclesias consuetudo, ne plus aquæ apponatur, quàm facilè possit ante consecrationem in vinum conuerti. Atque vtinam etiam illud obtinuisset, quod Innocentius dicit diligenti studio curandum esse, quodque post eum Thomas, Gabriel & alij volunt, vt optimum vinum exhibeatur. Quod si fieret; non tot scrupulis ob vini viciositatem inquietarentur animi bonorum ac Deum timentium sacerdotum: deinde & dignitati huius tremendi sacrificij multo magis consuleretur. Iam, vt & illud quod
dixi

dixi de conciliorum decretis, confirmem; ex vobis duo concilia generalia, Florentinum & Tridentinum; quorum in priore sic legitur: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Hoc tantùm de materia. Tum sequitur quod suprà memini: *cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet.* Non dicit aquam esse materiam; sed docet aquam vino, quod est materia, adhibendam esse. Tridentinum verò sess. 13. continente decretum de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, nusquam aquæ meminit, sed assiduè nominat panis & vini benedictionem, consecrationem, conuersionem, transsubstantiationem: multò minus quicquam dicit de specie aquæ remanente post consecrationem, sicut loquitur de speciebus panis & vini remanentibus. Tantùm sess. 22. monet de aqua vino miscenda in calice, eiusque ceremoniæ adfert rationes. Et quia in eum locum iam venimus; haudquaquam negligenter prætereundum est, quod ibidem dicitur, ab Ecclesia præceptum hoc esse sacerdotibus, vt aquam misceant vino. Inde enim sequitur, hanc mixtionem esse præcepti Ecclesiastici & humani. Cùm igitur apud omnes constet, Ecclesiā non posse instituere materiam alicuius Sacramenti; planè consequens est aquam huius Sacramenti Eucharistiæ non esse materiam; ideóque ex ea

In Cōpendio fidei dato Armenijs

Cap. doct. 7

siue

sive separata siue vino coniuncta, sanguinem consecrari non posse, nisi prius in materiam, id est, in vinum conuersa fuerit. Omitto dicere quàm sit insolitum, & quàm malè sonet in auribus fidelium, Aquam transsubstãtiari in sanguinem Christi; Sub specie aquæ in calice esse & offerri sanguinem Dominicum: denique inaudita est in Ecclesijs aquæ consecratio in sanguinem. Etenim, *dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, & vinum in sanguinem.* Audistis alteram partem. Nunc igitur iudicate si lubet. Aliud certè iudicare non potestis, quàm quod credidit & custodiuit semper S. Romana Ecclesia; non aliter aquam in sanguinem Christi transsubstantiari posse, quàm si prius fuerit in vinum conuersa. Superest tamen vt ad argumenta diuersæ opiniones respondeamus; sed quia tempus lapsum est, ne tædio sit vobis sermo prolixior, huius partis exsequendæ in diem tertium me tenebitis debitorem.

Anno 1610. 6. Nouembris.

Additio Authoris.



Vthor addit has rationes suo loco inserendas. Sequetur ex illa priore opinione, sub specie solius aquæ esse posse sanguinē Domini, vbi nulla adsit species vini: vt si post consecrationem, artificio physico species aquæ à specie vini separetur.

Item sequetur, si multum sit aquæ, & modicum vini affusum, fieri conuersionem totius liquoris in sanguinem; & proinde sanguinem ibi remanere, etiam vini specie corrupta. Nam si potest aqua vino mixta, sed non in vinum conuersa, conuerti in sanguinem: potest etiam sanguis remanere, dum manet species aquæ, siue species vini perduret, siue non.

ORATIO

ORATIO DECIMA-SEPTIMA.

Oratio tertia de eodem argumento.



IXIMVS, auditores, de quæſtione quam repeto, *Vtrùm in conſecratione calicis aqua vino mixta conuertatur immediatè in ſanguinem Dominicum.* Diximus inquam, de ea quæſtione, quid nonnulli ſenſerint ante annos 400. & quibus vel teſtimonijs, vel rationibus ſuam ſententiam, quæ affirmatiua eſt, confirmare fuerint conati. Diximus deinde, quid è diuerſo ſentiunt alij, & quibus illi ſuam ſenten-

sententiam argumentis ostendant, doceant, ac demonstrent, non solùm vt probabilem, verùm vt omnino veram, indubitatam & ab omnibus tenendam. Hæc diximus: nec alio apud animos satis præparatos, vtemur exordio. Quid enim nunc agendum nobis sit, etiam nouistis. Nam polliciti sumus responsionem ad argumenta partis affirmantis, & huius promissi debitum nos hodiè soluturos. Quod nunc dum facimus, aures & animos aduertite. Primo loco proferebantur testimonia quædam scriptorum Ecclesiasticorum, partim veterum ac sanctorum Patrum, Cypriani & Ambrosij, (taceo Hieronymi & Augustini, quorum non veras esse citationes, dixi satis constare) partim authorum quorundam recentiorum, Paschasij, Hildeberti, & Algeri. Recentiores voco, respectu temporis quo scripsit qui hæc commemorat Gaufredus. His autem in fauorem aduersariorum adiecimus etiam ex Ioanne Damasceno testimonium. Adiecimus item ex Innocentio tertio. Verùm de eius sententia satis superque diximus: atque ostendimus eam non aliam esse quàm nostrã Quod igitur ad istorum testimonia attinet; non faciemus quod illi parum idonei nostræ sententiæ patroni, quos idem Gaufredus refert, de Patribus antiquis dissimulare; Paschasium contemnere; Hildebertum dicere versificato-

rem

rem fuisse, non Ecclesiasticorum dogmatum assertorem; de Algero iactare illud, Non nouimus hominem. Inepta sunt hæc, & graui disputatore indigna. At neque dicemus authores illos ita quidem sensisse, vt eorum verba sonant, verùm, vt in re adhuc non satis discussa neque determinata, falsos opinione fuisse (quamuis id de quibusdam dicere non esset absurdum): Quid enim necesse nobis est eò confugere, cùm aliud in promptu sit quod respondeatur? Neque enim vllus eorum dicit aquam calicis immediatè in sanguinem conuerti. Supponunt enim vinum agere quod solet, id est, aquam affusam alterare, & alterando in suam, hoc est vini, conuertere naturam. Quod si non semper fiat, vel propter maiorem aquæ quantitatem, vel ob vini debilitatem; id præter intentionem est & curam scriptoris. Cùm igitur dicunt vinum & aquam consecratione conuerti in sanguinem; sic expone, Vinum aquâ mixtum, quod videlicet aquam sibi iam incorporauit. Nam & illud, vinum aquâ mixtum solemus appellare. Cùm autem solam nominant aquam, vti Paschasius, dicens aquam consecrari & verti in sanguinem: id intellige, mediatè. Non enim aqua sola adhibebatur consecranda, nisi ab Aquarijs olim damnatis: sed vino infusa, à quo naturaliter eam alterari & in ipsum verti, nemo peritus negauerit.

uerit. Igitur aquam mediante vino, in quod fuerit conuersa, consecrari, & in sanguinem verti, nos quoque fatemur: qua ratione iam antè diximus, aquam dici posse materiam huius Sacramenti, nempè mediatam. Ad eam verò rem significandam, Patres interdum quidem vinum & aquam nominant; sæpius autem vinum aquâ mixtum; at sæpissimè vinum solum: vinum & aquam interpretantes per vinum aquâ mixtum; hoc autem, per vinum: vtique scientes vinum aquâ mixtum totum in sanguinem transire non posse, nisi prius totum sit vinum; quod animaduertere est in verbis Damasceni; si cui libet ea integra apud authorem ipsum inspicere. Addo, nec adeo incommodum debere videri sermonem, quo dicitur aqua calicis conuerti in sanguinem, loquendo de mediatâ conuersione: sic enim loquimur; Panis quem comedimus & vinum quod bibimus, ac cætera quæ sumimus alimenta, conuertuntur in substantiam corporum nostrorum. & tamen constat non conuerti immediatè: ac multæ tales sunt in natura transmutationes. Quanquam ad id de quo nunc agimus non facilè est extendendus hic sermo; ne malè intelligatur, & malè intellectus offendat. Cùm enim quæritur, Vtrùm in hoc Sacramento aqua conuertatur in sanguinem; immediata conuersio vulgò solet intelligi: Licet non ita Patres

Patres

Patres intellexerint, apud quos huiusmodi sermo reperitur. Quod vel ex ipsius Cypriani verbis, quæ nobis obijciebantur, conijcere licebit: *Sic, inquit, calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque sibi misceatur: quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrumque adunatum fuerit & copulatum.* Quibus in verbis videris non magis intelligi oportere immediatam aquæ conuersionem in sanguinem Domini, quàm immediatam farinæ & aquæ conuersionem in corpus Domini. Alterum enim cum altero comparat. Atqui farinæ & aquæ conuersionem immediatè fieri in corpus Domini, quis nisi stolidus affirmauerit? Hæc ad verba Patrum, quæ pro diuersa sententia fuerant allegata, respondisse sufficiat. Sequitur vt & rationes in eiusdem sententiæ patrocinium adductas dissoluamus: quarum primam ex iam dictis Cypriani verbis acceptam, sæpè memoratus Gaufredus monachus ita proponit: *Aiunt quòd dum substantia aquæ, quæ ad conficiendum panem miscetur similæ, post consecrationem aqua non manet: incongruum fore videtur, vt mixta vino similiter in consecratione non mutetur.* Verùm facilis est responsio; nec aquam quidem vino mixtam manere, si vt ad eam sibi incorporandam satis sit virtutis in vino: sicut satis est in igne ad mutandam aquæ substantiam, vt ex ea & simila

fiat panis. At verò, ſicut aqua ſimilæ commixta, non niſi mediatè conuertitur in corpus Domini (nam priùs in panem coquitur) ita aquâ mixta vino non immediatè tranſit in ſanguinem Domini, ſed priùs in vinum conuerti debet. Itaque argumentum hoc non aduerſum nos, ſed pro nobis facit. Quod & ſecundo argumento contingit, deſumpto ex ſignificatione myſtica; nimirum ex eo quòd per aquam vino mixtam deſignatur vnio populi fidelis cum capite Chriſto. Nam ſi per aquam ſignificatur populus fidelis, ſecundum illud Apocalypſis 17. *Aquæ multæ populi multi*; & per vinum Chriſtus ipſe, qui caput eſt noſtrum, gaudium & ſanitas noſtra, omnia lætificans & mutans in melius: debet autem populus fidelis conuerti in Chriſtum, non contrà; quemadmodum dicit Chriſtus apud Auguſtinum in confeſſionibus; *Non ego mutabor in te, ſed tu mutaberis in me*: Igitur ad hanc conuerſionem ſignificandam, aqua ſic vino miſcenda eſt, vt ipſa tranſeat in vinum, non contrà. Quòd ſi in vinum conuerti debeat aqua: non igitur immediatè in ſanguinem. Neque verò commixtio aquæ cum vino in ſanguinem conuerſo, inſtituta eſt ad ſignificandam memoratam vnionem fidelis populi cum Chriſto; quod obiectio prætendebat: ſed commixtio aquæ cum vino ante conſecrationem. Atque hoc

argu-

argumentum bene probat non tantum aquam vino admiscendam esse, vt ipsius in vinum conuersio, &, vt ita dicam, incorporatio impediatur. Sic enim hac mixtione non repræsentaretur illa vnio, qua nos incorporamur Christo; quam tamen ex sententia sanctorum Patrum & concilij Tridentini, repræsentare debet. Iam verò si & ad alteram significationem huius mixtionis respiciamus, amplius adhuc confirmabitur nostrum institutum. Ea significatio est secundum Patres tam Florentini concilij, quàm Tridentini, repræsentare passionem Dominicam, in qua de latere eius aqua simul cum sanguine exiuit: *Quod Sacramentum*, inquit synodus Tridentina, *hac mixtione recolitur*. Hoc autem qui dicunt, distinguunt vtique sanguinem in quem vinum conuertitur, ab aqua, quæ, quia aquam significat, in sanguinem non conuertitur, nisi prius conuersione sui in vinum aqua esse desierit. Nam in vino sanguinis significatio est; in aqua, non sanguinis, sed illius aquæ quæ fluxit è latere Domini. Ex qua significatione, non recentèr excogitata sed tradita à beato Alexandro Papa, qui quintus fuit à beato Petro, illud præterea colligi potest, non esse præter rationem, nec alienum à mysterio, si in calice remaneat aliquid aquæ simul cum sanguine. Quod credo olim frequentissimè contigisse. Imo verò fa-

cere videtur hoc ad mysterium. Nam sicut ex latere Christi fluxit sanguis & aqua; sic in calice conuenit esse sanguinē & aquam, vt signa rebus respōdeant. Neque id repugnabit priori significationi de vnione & incorporatione, si cogites vtrumque fieri posse, & vtrumque frequenter, ac fortassis ordinariè quondam fieri solere, vt pars aquæ vino infusæ in vini naturam transeat, eique incorporetur, ad significandam, vt dictum est, vnionem populi fidelis cum Christo capite: pars autem vsque ad consecrationem remaneat in sua natura, quæ post consecrationem simul in calice existat cum sanguine; videlicet ad repræsentandum nobis mysterium sanguinis & aquæ simul effluentium è latere Domini. Verùm ego hanc contemplationem (quæ durior fortasse quibusdam videbitur) alijs doctioribus, atque inprimis Ecclesiæ Romanæ diiudicandam relinquo. Mihi satis est ostendisse argumentum quod erat ex significatione sumptum, adeo nihil adiuuare aduersarios, vt pro nobis faciat, ac telum nostrum sit quod in ipsos iam retorsimus. Tertium argumentum sumptum erat ab incommodo sacerdotis. Nam si quid aquæ remaneat in calice post consecrationē non conuersum in sanguinem; sacerdos hausto calice non erit ieiunus: atque ita non poterit eodem die, in casibus alioqui concessis, iterum cele-
brare

brare missam & communicare; quemadmodum non potest sumpta ablutione. Respondet Gabriel, eo casu sacerdotem soluere quidem ieiunium, non tamen impediri ab iterata celebratione. *Quoniam*, inquit, *ignorantia inuincibilis excusat. Non enim potest sciri, vel euidenter apprehendi instans huiusmodi conuersionis (scilicet aqua in vinum) à sacerdote. Nisi fortè tanta fuisset aqua apposita, quòd notabiliter deprehenderetur sapor aquæ. Tunc enim esset ab iterata celebratione abstinendum.* Sic ille. Cui potest obijci: Quid si sciat probabiliter; vt si non habeat, nec habere possit vinum nisi admodum debile, de quo rationabiliter suspicetur quòd iniectam aquæ guttulam non potuerit in se transmutare? An ille propter hanc probabilem suam scientiam, alioqui inculpatus, impedietur ab iterata celebratione? Melius proinde videtur hanc obiectionem, multo ante Gabrielem, diluisse Cardinalis Vitriacus, ita scribens: *Licet autem aqua sumatur cum sanguine, quia est Sacramentum populi, & valde coniuncta Sacramento sanguinis; propter huiusmodi tamen sumptionem non iudicatur solui ieiunium: & idcirco eodem die, si necesse esset, posset iterum communicari. Post primam autem ablutionem, non posset; eo quòd aqua vel vinum quo abluitur calix, non est Sacramentum, vel Sacramento coniunctum.* Hæc ille: quæ pro solutione tertij argumenti

sufficiant. Venio ad 4. sumptum ab incommodo longè grauissimo, nec vnius sacerdotis, sed totius populi, si credimus & cedimus exaggerationi Dominici à Soto. *Nam, inquit, si aqua maneret illic in substantia aquæ post vini consecrationem; hoc esset plebem seducere: & sciens hoc sacerdos committeret immane sacrilegium.* Et quomodo probas? Quia plebs adorat quicquid substantiæ sub illlis accidentibus reconditur. Quid igitur censes faciendum? *Ex paucitate aquæ,* inquit, *nullum potest creari periculum: imò quanto minus miscetur, tanto tutius est; etiamsi sit sola gutta, dummodo sit aqua.* Amplector consilium. Est enim consentaneum decreto Florentino de aqua modicissima adhibenda. Sequitur; *Quare dum apparet aqua plus iusto infusum, debet calix effundi, & iterum vinum cum pauciori aqua infundi.* Rectè. Sed quod vni plus iusto videbitur, alteri non videbitur: Nec decet esse nimis scrupulosum. Sequitur: *Atqui in ordine nostro,* scilicet Dominicanorum, *& alijs Ecclesijs mos seruatur, statim ante introitum missæ, calicem miscere, vt tempus suppetat aquæ in vinum conuertendæ.* Verùm ab initio non fuit sic. Et quare non placet mos Ecclesiæ Romanę de quo iam in prima nostra oratione disserui; & quem S. Thomas ille, vester commendat, ac meritò commendat, & post eum Syluester, ipse quoque vester? Et quorsum illa

noui-

nouitas vestra? Ne plebs seducatur; Ne sacerdos committat immane sacrilegium. Quid ita? Quia plebs adorat quicquid substantiæ sub illis accidentibus reconditur. Vtinam Dominicus hunc suum sermonem obscurum & reconditum exposuisset; Mihi enim videtur esse affectata quædam obscuritas. Igitur nebulam discutiamus, & rem explicemus, vt appareat huiusmodi facto neque plebem seduci, neque immane sacrilegium committi. Plebs Christiana sic instituta est ab Ecclesiæ pastoribus, vt credat in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento virtute verborum Christi, quæ à sacerdote proferuntur, panem conuerti in corpus Christi & vinum in sanguinem: remanentibus tamen speciebus siue accidentibus panis & vini, sub quibus credit corpus & sanguinem Christi contineri; & hæc sunt quæ plebs adorat & adoranda didicit: corpus Christi sub specie panis, & sanguinem Christi sub specie vini. Quòd si fortè pani diuersum quid admixtum erat, vt aliquid farinæ hordeaceæ, vt paleæ particula, vt puluisculus; etsi id maneat post consecrationem, & sub specie panis lateat, aut reconditum sit, sicut loquitur Dominicus; non tamen plebs bene instituta intendit illud adorare: sed id solum in quod panem credit esse transmutatum. Ad eundem igitur modum: quamuis contingat aquā quæ vino mixta

mixta erat, non totam conuerti in vinum, sed remanere aliquid eius in calice post consecrationem: non tamen intentio est plebis Christianæ, illud residuum adorare, sed id solum & totum adorare, in quod credit vinum esse transmutatum. Adorat quidem totum illud quod sub illis accidentibus ita continetur, vt sit illis ineffabili modo coniunctum; quomodo credimus sub illis accidentibus solum corpus & sanguinem Domini contineri. At non totum quod continetur aut reconditur sub illis quocunque modo; Nam si quis hoc plebem doceret, is plebem seduceret, & immane sacrilegium committeret. Quòd si Dominico venisset in mentem, non vbique haberi posse vina Hispanica, ac multis locis vina nasci admodum tenuia, alijs locis nulla, sæpe etiam haberi non posse nisi iam fugientia & vapida; deinde si attendisset ad antiquum morem Romanæ Ecclesiæ, quæ mixtionem facit demum instante oblatione; si ad antiquos canones qui non aliud exigunt, quàm vt maior pars sit vini, saltem vt tertia demum pars sit aquæ: non adeo durus & iniquus fuisset censor in eos, qui non tantam, quantam ipse præscribit, cautelam adhibent in mixtione. Quid verò si Dominicus incidisset in ea secula, quibus vigebant priores canones; an solus sapere voluisset & aduersus morem qui tunc per Ecclesias seruaba-

nabatur, occlamasset immane sacrilegium? Sed longius progressus sum, studio declarandæ veritatis. Non enim Dominicus aduersarius noster est in huius disputationis certamine. Nam is sentit nobiscum, aquam vino mixtam non conuerti immediatè in sanguinem: & propterea scrupulosior est, ne quid aquæ remaneat in calice consecrato. Sed aduersus eos agimus, qui immediatam illam conuersionem asserunt: quorum argumento ex adoratione sumpto iam abundè per ea quæ diximus, satisfactum est. Adoratio quippe respondet fidei. Hoc igitur adoro, in quod credo vinum mutari, non illud in quod aquam immediatè; vtpote quam non didici immediatè conuerti in aliquid adorandum. Hactenus ad rationes quæ pro opinione partis aduersæ fuerant allatæ. Sed de sententia Cardinalis Baronij scriptoris celeberrimi, quid dicemus? *Aliud*, inquit, *ad quæstionem Gaufredi rescribi non potuisse certum est, quàm quod credidit & custodiuit semper S. Romana Ecclesia*. Et quid illud est? *Aquam simul & vinum transsubstantiari in sanguinem Christi*. Definita sententia, si ab illo esset profecta, cuius iudicio toties ipse Baronius sua scripta subiecit. Possemus sine iniuria dicere optimum Baronium historiæ totum intentum, intimam dogmatum theologicorum notitiam non habuisse. Veruntamen illud

illud magis placet, virum doctissimmu, multa lectione ac scriptione occupatum, & semper ad alia properantem, non satis considerasse sensum quæstionis: nec eam sic intellexisse, quomodo Gaufredus sensit qui eam proposuit. Cùm enim indistinctè quæreret, An substantia aquæ, quæ vino mixta in calice offertur, cum eodem vino in sanguinem conuertatur; satis quidem apparet de immediata conuersione percontatorem loqui, sicut initio probauimus. Cæterùm Baronius quæstionem vt absolutè propositam intellexisse videtur; id est, Vtrùm aqua vino mixta, quocunque modo ac saltem mediatè conuertatur in sanguinem. Ad eam verò sic intellectam, haud dubiè quadrat affirmatiua responsio. Cum qua benigna verborum Illustrissimi Cardinalis ac doctissimi scriptoris interpretatione, disputationem nostram, simul & vesperias hasce magistrales concludimus: Ac Deum precamur, vt vnionem populi fidelis cum capite Christo, per aquam vino mixtam (de qua tam multa diximus) significatam, in populo suo & in nobis omnibus, per gratiam suam conseruet.

Anno 1610. 8. Nouembris.

ORATIO DECIMA-OCTAVA.

Vtrùm apud hæreticos sit scriptura sacra.



VLTA nobis Catholicis, auditores Catholici, cum sectarijs, idest hæreticis superiori sæculo exortis, & adhuc regnantibus, controuersia est de scripturis sacris, quæ sint, & quo numero librorũ comprehensæ: tum de earum recta interpretatione, & vero intellectu: denique an solæ sufficiant, vt extra eas, nihil pro verbo Dei sit recipiendum. Quibus aduersarijs nostris Catholici

lici quidam scriptores ita disputando resistunt, vt ipsas scripturas, propter quas, & de quibus est altercatio, negent reuera apud hæreticos esse. Quod vtrùm ab ijs rectè dicatur, examinandum censeo. Et de ea re Deo fauente nunc dicere statui, eo ordine, vt primo loco referam argumenta & testimonia, quibus in illam sententiam inducti sunt. Deinde & ea proferam, quæ destruere eiusmodi sententiam videantur. Tertiò, quid rei veritas habeat, exponam. Ac postremò dissoluam & diluam ea quæ responsioni nostræ visa fuerint aduersari. Agemus autem de singulis breuiter: ne dicendi prolixitate tædium vobis, auditores, ac nobis ipsis molestiam gignamus. Primùm igitur qui ita sentiunt vt dixi, non tam ratione moti videntur vt ita sentirent, quàm authoritate Tertulliani & Hieronymi: quorum ille libro de præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 37. ita scribit: *Constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos hæreticos ad ineundam de scripturis prouocationem: quos sine scripturis, probamus ad scripturas non pertinere.* Sine scripturis, ait Rhenanus Tertulliani scholiastes, quia carent scripturis. Hierònymus verò non vno loco, & quidem verbis apertioribus idipsum affirmat. Exponens illud epistolæ B. Pauli ad Galatas. 1. *Notum enim vobis facio fratres euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est*

secundum hominem &c. post alia dicit: *Marcion & Basilides, & cætera hæreticorum pestes, non habent Dei euangelium: quia non habent Spiritumsanctum; sine quo humanum fit euangelium quod docetur. Nec putemus in verbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis.* Hæc ille. Quæ verba Gratianus quoque in suum decretum retulit, 1. q. 1. cap. Marcion. Idem Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos, sub finem, vnius ipse de hæreticis loquens; *Nec sibi blandiantur*, inquit, *si de scripturarum capitulis videantur affirmare quod dicunt: cùm & diabolus aliquid de scripturis sit locutus: & scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo.* Rursus in commentario super Matthæum, ad illud cap. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Aliquoties dixi*, inquit, *regnum Dei scripturas sacras intelligi; quas Dominus abstulit à Iudæis, & nobis tradidit, vt faciamus fructus earum.* Sic ille. Quòd si Iudæi postquam in Christum credere noluerunt, scripturas sanctas non habẽt; certè nec hæretici. Est enim par ratio. Nam illi Christum occiderunt; isti Christum soluunt, eiusque corpus, id est, Ecclesiam quotidie lacerant. His allatis ex Hieronymo & Tertulliano testimonijs, adiungamus & rationes, vnam & alteram, quibus moti videntur, qui ab

ab hæreticis scripturas auferunt. Prior ratio: Vbi scriptura sacra, ibi verbum Dei; vbi verbum Dei, ibi veritas: atqui veritas apud hæreticos non est: igitur nec verbum Dei, nec scriptura sacra. Altera ratio: Verbum Dei corruptum non est verbum Dei; nihilo magis quàm virgo corrupta, virgo est; aut fides corrupta, fides est; aut iusticia corrupta, iusticia est. At apud hæreticos verbum Dei corruptum est; igitur apud eos non est: proinde nec scriptura sacra, quam verbum Dei esse nec ipsi diffitentur hæretici. Qui etsi negent apud se verbum Dei corruptum esse: nobis certè Catholicis id constat. Ac interim tamen ea de re Tertullianum audiamus, antiquum testem, qui in eodem de præscriptionibus libro cap. 17. sic loquitur; *Hæresis non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata, conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.* Et capite 38. *Illic & scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ. Nec enim illis potuisset succedere corruptela doctrinæ, sine corruptela instrumentorum eius.* Possem & alios proferre testes huius rei, Cyprianum, Hieronymum iterum, Augustinum, Vincentium Lirinensem. Sed in re manifesta pluribus non est opus. Nunc diuersæ partis argumen-

gumenta recitemus; ea nempe quæ doceant apud hæreticos esse scripturam sacram. Et hîc quoque primùm testimonia Patrum adferamus in medium, non omnia quidem, sed aliqua præcipua. Primus Augustinus in huius rei assertione frequens & clarus est; vt libro de pastoribus cap. 8. *Habent enim & ipsi scripturas, habent Sacramenta*. De hæreticis loquitur. Et lib. 7. de gen. ad lit. cap. 9. *Neque enim non omnes hæretici scripturas Catholicas legunt: Nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter offerunt*. Idem lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. vltimo, hoc vtitur argumento, quo doceat baptismi Sacramentum, vt & alia Sacramenta esse apud hæreticos; quia apud eos est scriptura sacra. Probat autem vtrumque verbis Osee Prophetæ cap. 2. ita loquentis de meretrice, personam hæreticorum mysticè referente: *Et ipsa non cognouit quod ego ei dederim frumentum, & vinum, & oleum; & pecuniam multiplicaui illi*. Nam frumentum, & vinum, & oleum, Sacramentorum Ecclesiæ significationem habent: pecunia verò scripturæ sacræ, quam seruus euangelicus expendere iubetur ad vsuram; & ex qua scriba doctus in regno cælorum, velut è thesauro, profert noua & vetera. Sic idem Augustinus libro 4. eiusdem operis cap. 17. *Potest*, inquit, *nobis & hæreti-*

reticis baptisma esse commune; cum quibus euangelium potest esse commune. Hæc & plura, alibi in eandem sententiam B. Augustinus. Nota est & illa B. Hilarij sententia lib. 2. de Trinitate statim post initium: *De intelligentia hæresis, non de scriptura est: & sensus non sermo fit crimen*. De Vincentio Lirinensi quid dicam? qui in illo breui suo, sed aureo libello, quem aduersus profanas hæreseon nouitates edidit, diligenter inculcat hæreticos vti scriptura sacra, & quidem copiosissimè: quando & diabolus illorum magister & Christi tentator, id fecerit. At, vti non possunt, si non habeant. Iam suprà dictum est, de hæreticis, hac in parte, simile cum Iudæis infidelibus esse iudicium. Videamus ergo num apud Iudæos sit scriptura sacra. De ijs sanctus Hieronymus in proœmio sui commentarij super Ionam Prophetam, sic loquitur: *Illi habent libros, nos librorum Dominum: illi tenent prophetas, nos intelligentiam prophetarum: illos occidit litera, nos viuificat spiritus*. Ecce non tantùm libros, sed & ipsos prophetas haberi dicit à Iudæis. Similiter Augustinus in enarratione Psalmi 40. *Apud illos sunt propheta & lex: in qua lege & in quibus prophetiis Christus prophetatus est*: Et in enarratione Psalmi 56. *Omnes ipsæ literæ quibus Christus prophetatus est, apud Iudæos sunt: Omnes ipsas literas habent Iudæi*. Item in enarratione Psalmi 58. conc. 1. *Per omnes gentes,*

gentes, inquit, *dispersi sunt Iudæi, testes iniquitatis suæ & veritatis nostræ. Ipsi habent codices de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum.* Idem Augustinus sermone 2. de Epiphania Domini, tractans illud: vbi Iudęorum sacerdotes & scribę Magis interrogantibus respődent de scriptura, & Christű cőmonstrant, Matth. 2. ipsi tamen in Christum non credentes; *Quid aliud*, inquit, *hîc significauit diuina prouidentia, nisi apud Iudæos, solas diuinas literas remansuras, quibus gentes instruerentur, illi excæcarentur? quas portarent non ad adiutorium salutis suæ, sed ad testimonium salutis nostræ.* Hinc idem doctor perquàm appositè Iudæos librarios & capsarios nostros vocat, & seruis comparat, qui post dominos euntes ad Ecclesiam, codicem ferunt. Sic enim ait in dicta expositione Psalmi 56. *Propterea, adhuc Iudæi sunt, vt libros nostros portent ad confusionem suam. Codicem portat Iudæus, vnde credat Christianus, & conuincatur paganus. Librarij nostri facti sunt: quomodo solent serui post dominos, codices ferre; vt illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Ac rursus in expositione Psalmi 40. citans oraculum quo dictum est; *Maior seruiet minori*: & impletum esse docens in Iudæis & Christianis: *Modò fratres*, inquit, *nobis seruiunt Iudæi; tanquam capsarij nostri sunt: studentibus nobis codices portant.* Nec ineptè Mahometes in suo

Alcorano, azoara 71, confert Iudæos asino gestanti libros sacros: quia quod gestant non intelligunt. Quantumuis mēdax sit Mahometes, certè tamen testimoniū hoc verum est. Quanquā de Iudęis certissimū testē habemus Abraham Patriarchā: qui interpellatus à diuite epulone apud inferos in tormentis posito; & rogatus vt mitteret Lazarum ad fratres ipsius, qui testaretur illis, de suo statu, ne & ipsi venirēt in eundē locum tormentorum: respondit, *Habent Moysen & prophetas; audiant illos.* Erant autem ij fratres, quemadmodū fuerat & ille diues, hæretici, de secta Sadducæorum, qui nec resurrectionem mortuorū credebant, nec angelū, nec spiritum: & proinde nec præmia post hanc vitam bonorum, nec supplicia malorum. Præterea, nónne Christus hortatur scribas Iudæorum & Pharisæos, vtique incredulos, ad lectionem scripturæ sacræ; dicens, *Scrutamini scripturas?* Et quomodo legent eas, aut scrutabuntur, si non habeant? Idem ad Sadducæos: *Erratis*, inquit, *nescientes scripturas*: non ait, Non habentes. Vt autem & ratione res ista confirmetur: an non ex scripturis sacris Catholici cum hæreticis, ac vicissim hæretici cum Catholicis disputant? Quod fieri non posset, si non vtrisque communes essent scripturæ, tanquam in medio positæ. Etenim scriptura sacra nomen signi est, quo res sacræ significantur.

Luc. 16.

Ioan. 5.

Matth. 22.

tur. Poteſt autem quis habere ſignum, licet ignoret quid ſignificet, aut etiam circa ſignificationem eius multipliciter erret. Sic multi libros habent Ariſtotelis & Platonis, etſi non intelligant, aut malè intelligant. Sic & tabellarij accipiunt, & ſeruant, & perferunt epiſtolas; rerum quę in ijs ſcribuntur prorſus neſcij: Scripturas autem ſacras, epiſtolas Dei Patris noſtri ad nos miſſas, appellat Auguſtinus in enarratione Pſalmi 64. Verùm hæc ſatis. Ad id progrediamur quod tertio loco propoſitum erat: vt tandem intelligatur vtra ſententia veritati ſit propior. Hîc autem video diſtinctione vtendum eſſe, qua res explicetur. Nam & vocabulum *ſcripturæ ſacræ* ſumi poteſt non vno modo: & *habere ſcripturam ſacram* diuerſimodè poteſt intelligi. Primùm quod attinet ad ſcripturas originales, id eſt, ipſa antographa prophetarum & apoſtolorum; conſtat à multis iam ſæculis ea non exſtare; proinde nec à nobis haberi, nec ab aduerſarijs. At de ea re quæſtio non verſatur. Nec dubium quin nomen ſcripturę ſacræ comprehendat etiam primarum & originalium ſcripturarum exemplaria: deinde & tranſlationes earum in varias linguas. Poſſumus etiam diſtinguere ſcripturam, in integram ſiue incorruptam, & viciatam, atque corruptam. Sed & ipſum *habere ſcripturam* variè diſtinguitur. Aut enim eſt ha-

bere simpliciter, aut iure habere, aut intelligere ac sensum tenere, aut vtiliter & ad salutem habere. Ex quibus iam apparet multiplex inter Catholicos & hæreticos discrimen, in eo quod est, *habere scripturam sacram*. Nam Catholici integram habent; hæretici plærique non solùm veteres, de quibus audiuimus Tertullianum, verùm etiam recentiores, non integram, sed partibus non paucis accisam, truncatam, interpolatam. Neque enim iudicium Ecclesiæ Christi sequuntur in recipiendo canone scripturarum, sed sensus & affectus suos priuatos. Rursus, Catholici iure scripturam sacram tenent & possident: non item hæretici. Nam Christus Ecclesię sponsę suę & filijs eius, non autem filijs desertoribus scripturam sacram pro testamento reliquit. Apostoli quoque libros à se conscriptos suis successoribus, non alienis, habendos & seruandos tradiderunt. Qua de re grauiter idem Tertullianus in libro memorato de pręscriptionibus aduersus hæreticos: *Non Christiani*, inquit, *nullum ius capiunt Christianarum literarum; ad quos meritò dicendum est, Qui estis? quando, & vnde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion iure syluam meam cadis? Qua licentia Valentine, fontes meos transuertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoues? Mea est possessio. Quid hîc cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis?*

tis?

tis? Mea est possessio: olim possideo; prior possideo. Habeo origines firmas ab ipsis authoribus quorum fuit res. Ego *sum hæres apostolorum. Sicut cauerunt testamento suo; sicut fidei commiserunt; sicut adiurauerunt: ita teneo. Vos certè exhæredauerunt semper, & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos.* Hæc ille. Tertiò, scripturā sacram sicut oportet intelligunt Catholici; non hæretici. Norunt enim & tenent Catholici sensum Ecclesiæ, qui idem est sensus Christi; vt dicere possint cum apostolo: *Nos autem sensum Christi habemus.* Et, si qui minus intelligunt; audiunt eam cui promissus est spiritus veritatis & intelligentię, id est Ecclesiá: in cuius corde principaliter est scriptura sacra. Quod si facerent hæretici; hęretici non essent. Postremò, Catholici scripturas sacras habent vtiliter, & ad salutem; quia vitam æternam in illis quærunt & inueniunt: Hæretici verò non vtiliter eas habent, quia non humiliter. Et quia non vtiliter habent; ideo nec habent, secundum illud: *Ei qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Et quid dico non vtiliter? Etiam perniciosè habent. Cùm enim scripturarum qualicunque intelligentia abutantur ad fastum & contentionem, & vincendi studium; & vt abducant discipulos post se, quos gehennæ filios faciant plus quàm se: completur in eis illa prophetica exsecratio: *Fiat mensa eorum coram ipsis*

1. Cor. 2.

Matth. 13.

Psa. 68.

in laqueum, & in retributionem, & in scandalum: Et illud apostoli: *Quorum finis & consummatio in combustionem.* Hæc cum ita sint, auditores, & vero aliquo sensu, iuxta prędicta, accipi possit, quod à quibusdam asseritur, apud hæreticos non esse scripturam sacram: arbitror tamen ita loquendum, quomodo sancti Patres Augustinus & alij disertè loquuntur; & quomodo loquendum esse sermonis ipsa proprietas exigit, & rationis euidentia demonstrat. Quippe simplici & absoluto sermone verũ est hæreticos legere, & tractare scripturã sacram, eiusque libros euoluere; quod non possunt nisi eam habeant. Atque id intelligo potissimum de ijs hæreticis, quibus non est studium viciandi, aut mutilandi, aut aliter corrumpendi textum scripturæ sacræ: quales olim Valentiniani, teste Tertulliano; & Priscillianistæ, teste beato Augustino: quales & multi alij. In hanc sententiam clarè loquitur idem Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas c. 15. *Sacramenta si eadem sunt, vbique integra sunt; etiamsi prauè intelliguntur & discordiosè tractantur: sicut scriptura ipsius euangelij, si eadem ipsa est, vbique integra est, etiamsi innumerabili falsarum opinionum varietate asseratur.* Hęc ille. Qui verò scripturę sacrę textum, addẽdo, demendo, conuertẽdo, peruertendo, viciant & corrumpunt; vt olim Marcionitę & Manichęi, & hodie non

Hebr. 6.

pauci:

pauci: ij quidem scripturam sacram habere non omnino negandi sunt; sed habent eam, & verè habent; ea parte, qua adhuc integram retinent & incorruptam. Ex his, ad argumenta prioris sententiæ facile est respondere. Nam siqui Patres negant hæreticos habere scripturam sacram: id volunt, vel quia non integram habent, vel quia iure non habent, vel quia sensum eius non tenent: vel denique quia non habent vtiliter ad salutem. Nam de sensu, & vsu legitimo, & fructu salutis è scripturis percipiendo, Hieronymus ipse sua verba, quæ ex commentario eius in epistolam ad Galatas afferebantur, exponit. *Tunc*, inquit, *scriptura vtilis est audientibus, cùm absque Christo non dicitur; cùm absque Patre non profertur; cùm sine Spiritu non insinuat eam ille qui prædicat: Alioqui, & diabolus loquitur de scripturis* &c. Porro Tertullianus non dicit hæreticos esse sine scripturis; sicut eum malè interpretatur Rhenanus: sed quod ait, *quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere*; hunc sensum habet, quem tradit alter ac melior, Tertulliani scholiastes Iacobus Pamelius: quos ad scripturas non pertinere, id est, ius nullum in ijs habere, probamus sine scripturis; hoc est, nullis ad hoc scripturis vtentes, sed solummodo ea præscriptione, quæ apud authorem illic sequitur: cuius verba iam superius à me recitata sunt. Iam nec

quicquam efficiunt ratiunculæ in diuersum allatæ. Nam de corruptela iam satis dictum est. Nec ideo veritas apud aduersarios est, quia scripturas habent veracissimas: nisi & apud diabolum tunc fuisse veritatē fateamur, quando de scripturis, vtique verissimis, nec infideliter allegatis, filium Dei tentauit, dicens: *Scriptum est enim.* Nam veritas vt dicebamus, in scripturis est tanquam in signis: sed non inde transit ad intellectum portantis signa, nisi hæc eadem ille qui portat, etiam cognoscat & capiat, & mentis assensu complectatur. Quod nequaquam faciunt hæretici. Vehementer autem optamus, & in Domino confidimus, vos ô candidati nostri (vt sermonem ad vos conuertam) sicut fecistis & facitis: ita deinceps, & multo amplius, facturos; & vt faciatis, verbis ex Apostolo Paulo ad suum Timotheum scribente mutuatis, vos alloquor: *Scripturas sacras meditamini; in illis estote: vt profectus vester manifestus sit omnibus. Attendite vobis & doctrinæ. Instate in illis. Hoc enim facientes, & vos ipsos saluos facietis, & eos qui vos audiunt.*

1. Tim. 4.

Anno 1611. 27. Septembris.

ORATIO

ORATIO DECIMA-NONA.

An eiusdem scripturæ plures sensus literales?



SCRIPTVRÆ Sacræ & canonicæ præ omnibus alijs scriptis quorumcunque authorum, auditores ornatissimi, eam esse prærogatiuam, vt sub vna litera plures sensus cõplectatur, historicum videlicet, siue literalem, ac quosdam mysticos; indubitatum est & esse debet, apud omnes Theologos. Cæterùm in quæstione apud eos versatur, An eiusdem alicuius scripturæ duo

aut plures sint sensus literales: alijs, & quidem multis, affirmantibus; alijs verò negantibus. Et quoniam huius quæstionis tractatio, non parum conducit ad promouenda eorum studia, qui veros atque germanos scripturarum sensus inuestigant, facientes illud quod præcipit Dominus, *Scrutamini scripturas*: idcirco
Ioan.5. rem omnibus sacrarum literarum studiosis & amatoribus gratam facturus mihi videor, si productis in medium atque expensis vtriusque partis argumentis, ostendero (quantum Deus author scripturæ sacræ inspirauerit) vtra potius sententia præualere debeat. Nam & eò magis id faciendum mihi putaui, quòd hanc quæstionē à nemine veterum Theologorum ex proposito tractatá, ne recentiores quidem accuratius examinasse videntur. Certè qui partem tenent affirmantem, ferè contenti sunt authoritate sanctorum Augustini & Thomæ Aquinatis, persuasum habentes hanc illorum esse sententiam, vnum eundemque scripturæ locum plures interdum habere sensus literales; &, si quidem ita senserint illi doctores, cum ijs omnino sentiendum esse. Ex Augustino potissimùm adferunt ea, quæ scribit lib. 12. confess. vbi de Moyse libri Geneseos scriptore, differens, deque verbis illis, *In principio fecit Deus cælum & terram*: post multa sic ait: *Ita cùm alius dixerit, Hoc sensit quod ego; & alius, Imò illud quod ego: religiosius me arbitror dicere,*
Cur

Cur non vtrumque potius, si vtrumque verum est? Et si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt: cur non illa omnia vidisse credatur, per quem vnus Deus sacras literas, vera ac diuersa visuris multorum sensibus, temperauit? Et paulo pòst: *Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitauit cùm ea scriberet, quicquid hîc veri potuimus inuenire, & quicquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inueniri potest.* Hæc ibi. Ad quem locum sine dubio respexit sanctus Thomas, quando parte. 1. suæ summæ Theologicæ q. 1. ar. 10. scripsit in hunc modum: *Quia verò sensus literalis est, quem author intendit; author autem sacræ scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit: non est inconueniens, vt dicit Augustinus lib. 12. confess. si etiam secundum literalem sensum, in vna litera scripturæ plures sint sensus.* Adferunt & illud ex eiusdem Augustini lib. 3 de doctrina Christiana cap. 27. *Nam quid in diuinis eloquijs largius & vberius potuit diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis?* Vbi significat Augustinus ad vbertatem ac fœcunditatem, adeoque ad dignitatem scripturę sacræ pertinere, quòd in ijsdem verbis plures sensus cogitentur ac lateant: tanquam ea sit ratio, cur negari non debeat eiusdē scripturæ plures inueniri sensus literales, quòd eminens scripturæ sacræ dignitas id postulet

vt

vt ſub ijſdem verbis plurium ſenſuum, etiam literalium, ſit fœcunda. Quam eandem rationem vrget etiam S. Thomas q. 4. de potentia ar. 1. licet illic expreſsè non nominet ſenſum literalem. Alteram verò eiuſdem doctoris rationem, ex eius Summa iam audiuimus: *Quoniam*, inquit, *author ſacræ ſcripturæ Deus eſt, qui omnia ſimul ſuo intellectu comprehendit: ideóque poteſt in iiſdem ſcripturæ verbis plures ſenſus, etiam literales, intendere*. Vt autem ea res amplius declaretur, loca non pauca proferuntur è ſcripturis, in quibus multiplex ſenſus literalis neceſſariò videatur agnoſcendus. Primus locus eſt, initium illud Geneſeos: *In principio creauit Deus cælum & terram*. Cuius ſcripturæ quinque ſenſus, non ſolùm vt à Deo primario authore, verùm etiam à Moyſe ſcriptore viſos & intentos, adfert Auguſtinus cap. 20. lib. 12. confeſſ. ac ſequenti capite totidem ſenſus aſſignat verbis illis proximè ſequentibus: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Alius locus eſt Pſa. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quod tripliciter ad literam exponi ſolet, de generatione Chriſti æterna, & de temporali, & de eius reſurrectione: quæ regeneratio vocatur. Rurſum alius locus Pſal. 8. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos.* Quod eque tripliciter exponitur, de filijs Iſrael

poſt

post transitum maris rubri laudem Deo canentibus: de pueris Hebræorum Christo acclamantibus; & de apostolis euangeliũ Christi prædicantibus. Quartus locus apud Danielem cap. 9. *Erit in templo abominatio desolationis.* Nam & illud exponunt tribus modis, de desolatione templi facta sub Antiocho: de altera facta à Romanis; & de tertia quam facturus est Antichristus. Quintus locus Exodi 12. *Os non confringetis ex eo.* Quod de Agno Paschali typico dictum sensu literali, Ioannes nihilominus ad literam de Christo interpretatur, euangelij cap. 19. Adferunt & illum locum eiusdem euangelistę, cap. 11. *Expedit nobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* In quibus verbis alium sensum cogitauit Caiphas, qui erat Pontifex anni illius; alium intendit Spiritus-sanctus loquens in Caipha. Sed locus ille non premit. Nam facilè respondetur illos duos sensus non vnius fuisse authoris: sed alterum Caiphę, alterum Spiritus-sancti; nec vtrumque sacrum, sed Caiphę profanum; & quatenus ab eo profecta sunt illa verba, non vera & sacra, sed falsa & sacrilega fuisse, spectantia ad inferendam necem Christo Domino. Hęc igitur sunt, nec multo plura; quæ pro sensuum literalium in eadem scriptura pluralitate solent adferri. Quæ quidem tanti sunt ponderis apud virum doctissimum Domini-

minicum Bannesium, vt in commentario super S. Thomam, temeritatis insimulet eos, qui negant in sacris literis esse locum aliquem, qui in sensu literali dupliciter possit intelligi. Quanquam idem author paulo pòst sententiam mitigat adijciens hæc verba: *Si cui videbitur acerbior hac nostra censura quàm oporteat; ego sanè, salua fide ac doctrinæ sanitate, censendi rigorem de sententia Theologorũ facilè remittam.* Sic ille. Nam quod ibidem refert dè Abulensi, qui dicat certum esse secundum fidem, quædam loca scripturæ in duplici sensu literali esse intelligenda: meritò reijcit tanquam inscienter ab illo dictum; vt qui putauerit omnem sensum à Spiritu-sancto intentum, esse literalem. Constat enim ac certò tenendum est, præter sensum literalem, multos esse in scripturis sacris sensus mysticos. Sed iam ea proferamus argumenta, quæ negantem quæstionis nostræ partem astruere videntur. Sunt autem rationes non contemnendæ. Quarum hęc sit prima: Dicere quòd plures sint eiusdem scripturę sensus literales, tale est ac si quis diceret vocem æquiuocam simul stare pro pluribus suis significatis. Nam literalis sensus est, qui per voces immediatè significatur. Illud autem pro absurdo habent Dialectici. Ad hanc rationem non aliter respondere potuit Bannesius, quàm concedendo æquiuocationẽ in sacris literis, & negan-

gando absurditatem. *Neque enim*, inquit, *negandum est, æquiuocationem esse, si vna oratio plura nobis significet per modum plurium: Non tamen huiusmodi æquiuocatio confusionem parit in sacris literis: quia secundum vtrumque sensum poterit fieri argumentum theologicum.* Hæc quidem ille, sed præter sententiam multorum, vt ipse fatetur, qui verentur concedere æquiuocationem in scriptura sacra; imò (quod ille non admittit) contra sententiam S. Thomæ, qui ęquiuocationem à sacris literis vbique solicitè ac simpliciter excludit. Tametsi non negamus, id quod Bannesius dicit, positis duobus sensibus eiusdem scripturę, posse ex ea secundũ vtrumque sensum bona duci argumenta. Accedat & altera ratio: Sensus literalis est vt fundamentum, igitur vnum in vnaquaque scriptura esse oportet & non plures; mysticis tamen sensibus, qui plures esse possunt, substratum: quomodo in ædificio fundamentũ, cùm sit vnum, cæteris eiusdem ædificij partibus substernitur. Hinc illud ab omnibus receptum, Sensus mysticos in aliquo sensu literali fundatos esse debere. Addamus & tertiam rationem: Omnes sensus eiusdem scripturæ coordinati esse debent: Atqui non erunt omnes coordinati, si plures sint eiusdem scripturæ sensus literales. Nam huiusmodi sensus, neque ordinem inter se habebunt, neque ad sensum aliquem diuer-

sum.

ſum. Non quidem inter ſe; quia nullus eorum alio prior eſt: Sunt enim omnes æquè primò intenti. Sed nec ad alium ſenſum; quia non fundantur in alio, cùm ipſi ſint primi. Secus de ſenſibus eiuſdem ſcripturę myſticis: qui licet inter ſe fortaſſis ordinem non habeant, habent tamen ad literalem, in quo fundătur. Poſtrema ratio ſit ea, quę ſumitur à cõmuni ſenſu ſeu conceptione, quam vocant, Interpretum ſcripturę ſacrę. Videntur enim omnes eo animo accedere ad interpretandas & exponendas ſecundum literam ſcripturas, vt vnum aliquem ſenſum, verum, germanum, ab authore intentum, in vnoquoque loco ſcripturæ quærant, inueniant, tradant, ad vnum colliment: & vbi diuerſi à diuerſis authoribus ſenſus traduntur, inquirit lector ſtudioſus, quis eorum germanum ſenſum authoris attigerit: nempe perſuaſus eum ſenſum vnum eſſe, non plures. Equidem nullum interpretem legi, qui exponens locum aliquem ſcripturæ ſacrę, & plures ac diuerſos, vt fit, ſenſus adferens, diceret, Vterque ſenſus literalis eſt, ac primò intentus à Spiritu ſancto: dumtaxat excepto recenti quodam authore, alioqui docto; apud quem id ſemel tantùm reperi; vt cùm in dijudicando literali ſenſu cuiuſdam ſcripturæ laboraret, tandem diceret vtrumque literalem eſſe. Huic poſtremæ rationi valde conſonant, quę apud Augu-
ſtinum

stinum varijs in locis leguntur: vbi docet eum qui scripturas sacras explanat, hoc conari debere, vt ad authoris sententiam perueniat, videatque quid senserit Dei minister in scribendo: tanquam illud quod sensit, vnum sit. Loca sunt lib. 3. de doctrina Christiana cap. 27. lib. 11. de ciuitate Dei cap. 19. & lib. 12. confess. cap. 18. 24. 25. & 30. Eiusdem Augustini hæc verba sunt lib. 1. de genesi ad literam, cap. vltimo. *Cùm*, inquit, *diuinos libros legimus; in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & sanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potissimum eligamus, quod certum appareat eum sensisse quem legimus. Si autem hoc latet; id certè quod circumstantia scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. Si autem & scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest; saltem id solum quod fides sana præscribit. Aliud est enim, quid potissimum scriptor senserit non dignoscere, aliud autem à regula pietatis errare. Si vtrumque vitetur; perfectè se habet fructus legentis: si verò vtrumque vitari non potest, etiamsi voluntas scriptoris incerta sit, sanæ fidei congruam non inutile est eruisse sententiam.* Hæc Augustinus. Qui rursus in enarratione Psalmi 93. & 94. cum peruenisset ad hemistichium, *Quia non repellet Dominus plebem suam; Hîc nobis*, inquit, *interpretari aliquid non licet. Præscriptum habemus ab apostolo. Exposuit hoc apostolus vnde sit dictum* &c.

Atqui liceret etiam aliter interpretari, si plures essent eiusdem scripturæ sensus literales. Nam de literali sensu loquitur Augustinus, non de mystico: iuxta quem non dubitauit scripturas etiam aliter, quàm apostolus intellexerit, exponi posse. Habet autem etiam hoc piorum interpretum sensus communis, vt si eis persuasum sit, vel Christum, vel apostolum allegasse scripturam aliquam iuxta sensum literalem; vel Ecclesiam in concilio definitè sensum aliquem scripturæ decreuisse; vti factum in concilio Mileuitano, Tridentino, & alijs: piaculum arbitrentur, eiusdem scripturæ sensum alium literalem adferre, aut quærere velle. Sanè vir doctissimus & in scripturarum expositione nobilis Adamus Sasboldus, hanc sententiam de vnitate sensus literalis, asserere non dubitat. Nam in præfatione suorum commentariorum super Isaiam, de sensibus scripturarum differens; quum sensum literalem definiuisset, quem author scripturæ Spiritussanctus primò per voces, seu propriè, seu figuratè acceptas, significare voluit; mysticum verò, quem ex rebus corporaliter gestis aut gerendis per voces significatis, vlterius intendit: mox, ex illis duabus descriptionibus tria colligit documenta seu canones interpretandi scripturas; quorum primus, sensum literalem esse fundamentum ac basim sensus mystici.

Secun-

Secundus verò, Quando de rebus diuinis seu cælestibus sermo est, vnum tantùm esse scripturæ sensum literalem, etsi plerumque per tropos, metaphoras, ænigmata significatum. Nec dissentit Franciscus Ribera, duodecim prophetarum diligentissimus interpres. Qui exponens illud Hosee cap. 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum*: latè ostendit illius scripturæ & aliarum quas ibidem adducit, non sensum literalem esse de Christo, sed mysticum; idque contra eos, qui contendunt vtrumque sensum esse literalem. Atque eò spectat eius disputatio, vt doceat eiusdẽ scripturæ non nisi vnum esse sensum literalem. Quibus similia repetit idem author in commentario epistolæ ad Hebræos cap. 1. Quòd si igitur hæc sententia placeat; ad quam propter argumenta quæ iam audiuimus, etiam me propensiorem fateor: videndum quid ad ea quæ in contrarium allata sunt, responderi possit. Vt ergo primùm de B. Augustino respondeamus, à quo velut authore manasse videtur ad multos opinio de pluralitate sensuum literalium; nusquam ille doctor affirmat vnam aliquam scripturã duos, aut plures habere sensus literales: quamuis ex eius scriptis id plerique colligant, ac elici dicant. Quòd si quis eius verba ex lib. 12. confess. initio à nobis recitata, pressius aduersum nos vrgeat, atque contendat eum loqui de sen-

ſu literali; quum ratio non ſit cur inter multos ſenſus, de quibus illic agit, alius prę alijs literalis ac aliorum reſpectu fundamentalis dici debeat: videat ille quæſo, quæ abſurditas inde ſequatur. Nam conſequens erit omnes veros ſenſus, qui ſtudioſi pijque lectoris animo occurrere poſſunt, non ſolùm à Moyſe vel alio ſacro ſcriptore viſos & intentos fuiſſe (quod Auguſtinus dicere videtur, etſi non admodum probabiliter) verùm etiam omnes eſſe ſenſus literales: quod puto nemo conceſſerit. Neque enim Deus voluit omnem veritatem eſſe ſenſum, ne quidem myſticum omnium verborum in quibus illa veritas intelligi poſſit. Nam & hoc quid aliud eſſet, quàm ſcripturas ſacras multitudine ſenſuum literalium onerare potius, quàm titulo fœcunditatis honorare? Abſit igitur vt hoc Auguſtinum ſenſiſſe dicamus, imò non eum hoc ſenſiſſe clarè liquet ex illis eiuſdem verbis, quæ in diuerſum attulimus: quibus addo quæ ſcribit cap. 30. memorati libri 12. confeſſ. de principio geneſeos differens: *Moyſen*, inquit, *cùm hæc ſcriberet, hoc attendiſſe credamus, quod in eis maximè & luce veritatis & fruge vtilitatis excellit*. Non igitur ſenſit Auguſtinus, omnia quæ vera in verbis Moyſi quiſque contemplatus fuerit, à Moyſe pro ſenſu literali intenta fuiſſe. Sed & alia loca eiuſdem libri, velut cap. 18. 24. 25. & 31, ſi quis attentè legat;

legat; intelliget Augustinum de sensibus scripturæ loqui generali modo, vt non mysticus modò, verùm & accommodatitius sensus, quem vocant, comprehẽdatur. Iam ad S. Thomam quod attinet, multum quidem ille verbis ac sententiæ Beati Augustini inhæret in illa quæstione de potentia, etsi nec ibi clarè affirmet de sensu literali se loqui: Sed postquam ad summam Theologicam peruênit, in quo opere exactior est, cunctanter & remissè loquitur, nihil affirmans, sed tantùm dicens quòd non sit inconueniens, si etiam secundum literalem sensum in vna litera scripturę plures sint sensus; nec id simpliciter, sed cum addito, *vt dicit Augustinus lib. 12. confess.* nimirum persuasus hoc Augustinum dicere; & significans ob eius authoritatẽ se nolle reluctari. Id enim est quod dicit non esse inconueniens; hoc est, non ita reijciendum, quin Deus posset, si vellet, in vna litera scripturæ plures sensus literales constituere. Quod si faceret; quoniam à Deo fieret, haudquaquam esset inconueniens. His adde, quòd S. Thomas nusquam in commentarijs scripturæ, quos multos edidit, vnĩ scripturæ loco plures assignat sensus literales: quod vtique fecisset alicubi, si fixa fuisset eĩ sententia sub vna litera plures subinde sensus occultari. Quin & in summa, loco prædicto, cùm sibi obiecisset, ex multiplici sensu scri-

pturæ nasci confusionem; ideoque in scripturis non esse admittendum sensum multiplicem: respōdet, *sensus illos* de quibus loquitur, id est literalem & mysticum, *non multiplicari propter hoc quòd vna vox multa significet; sed quia res ipsa significata per voces, possunt aliarum rerum esse signa. Et sic etiam*, inquit, *nulla confusio sequitur in sacra scriptura; Cùm omnes sensus fundentur super vnum, scilicet literalem.* In quibus verbis duo notanda sunt; vnum, quod apertè dicit omnes sensus eiusdem scripturæ à literali diuersos (de his enim loquitur) fundari super vno sensu qui est literalis; etiam rationem insinuans cur vnus esse debeat, quia super eo reliqui sensus fundantur: fundamentum autem vnum esse oportet: Alterum; quod excludit multiplicitatem sensuum in eo consistentem, quòd vna vox, siue oratio multa significet. Hoc autem manifestè contingit, vbi eiusdem scripturæ ponuntur plures sensus literales. Illa verò eius ratio in contrarium superius allata: Deus est author scripturæ sacræ, qui omnia simul suo intellectu comprehendit; ergo plures eiusdem scripturæ sensus sunt literales: si valere debet, ex ea consequens erit, omnes sensus scripturarum esse literales: quia nimirum Deus omnes illos, quotquot sunt, simul suo intellectu comprehendit. Itaque dicendum est, Deum quidem simul omnia suo intelle-

tellectu comprehendere; velle tamen, vt sicut inter res alias à se comprehensas ordinem statuit; ita & inter varios & veros scripturæ sensus à se comprehensos, hic sit ordo, vt vnus sit primus & quasi fundamentalis; quem proinde primò, id est, proximè & immediatè intendisse dicitur: alij verò super eo superstruantur; ideóque posteriores sint, eaque ratione posterius ac mediatè intenti. Ad loca scripturarũ quę pro exemplis allegata sunt, tanquam multiplicem sensum literalem habentia; non aliud respondeo, quàm quod à nobis breuiter ac facilè & verè responderi potest: ex sensibus qui plures ad eas scripturas adferuntur, vnum solum literalem esse, reliquos in mysticorum sensuum numero habendos. Id verò per singula declarare, non est huius loci. Certè ipse Dominicus Bannesius, cuius alioqui censura durior erat aduersus assertores nostræ sententiæ, ac nominatim aduersus venerabilé Adamum; cùm perpauca aliquot loca scripturæ pro se adduxisset, ingenuè fatetur sibi nullum alium locum occurrere, in sensu literali proprio multipliciter explicandum: imò & ea omnia quæ adduxit, vti loquitur, solutionem habere. Sed hæc de ea quæstione satis. Quod sensimus diximus, suum cuique iudicium liberum & saluum permittentes: & magis adhuc discere parati, quàm docere.

Anno 1612. 27. Septembris.

Additio reperta in ſchedis Authoris.



ITERALIS ſenſus eſt, qui primò, id eſt, proximè ex verbis reſultat ſecundum intentionem loquentis aut ſcribentis; ſiue ſit præcipuus ac principaliter intentus, ſiue non. Nam myſticus ſæpè principalior eſt; vt ad quem tanquam digniorem literalis ordinetur.

In genere notandum pro ſolutione eorum quæ ex ſcripturis ſolent obijci, quicquid ad literam de populo carnali Iſrael, vel de Dauide, vel de Salomone, vel de quocunque alio ex antiquis dicitur; id ad Chriſtum, vel eius Eccleſiam, non niſi myſticè pertinere.

Thomas 3. q. 60. ar. 3. ad 1. Tunc eſt ſignum ambiguum præbens occaſionem fallendi, quando ſignificat multa quorum vnum non ordinatur ad aliud &c. ergo ſentit ſcripturas, ne ſint ſigna ambigua præbentia occaſionem fallendi, non ſignificare multa, niſi eorum vnum ordinetur ad aliud.

Vide Riberam in proœmio 12. prophetarum & in proœmio Ionæ.

Hieronymus ſuper Hoſee 13. Quod apoſtolus in reſurrectionem interpretatus eſt Domini, nos aliter interpretari nec poſſumus, nec audemus.

FINIS.

